FASTI HORATIANI.

SCRIPSIT

CAROLUS FRANKE,

PH. DR.

ACCEDIT EPISTOLA

CAROLI LACHMANNI.

BEROLINI SUMPTIBUS GUILELMI BESSERI.

MDCCCXXXIX.

PROOEMIUM.

Acre quidem et satis lugubre vaticinium R. Bentlejus, *cum veram sibi visus esset proposuisse temporum rationem, qua* Q. Horatius Flaccus *poemata sua scripsisset, ediderat hoc, ut, ubicumque viri doctissimi extra limites ab ipso positos in adsignandis temporibus evagaturi essent, toties illos in errores prolabi diceret. Verumtamen neque hoc, neque magna egregii viri auctoritas, neque ingeniosa ipsius disputationis brevitas, quam quis ab aperta rei veritate eaque ne argumentis quidem indigente profectam judicaverit, tantum valuere, ut, quae exeunte demum septimo decimo saeculo et initio sequentis coepta erat institui quaestio de hòc loco,* T. Fabri, Rodellii, Dacerii *et* Massoni [1]) *potissimum studiis, ea aut abrumperetur aut ad finem perducta absolutaque crederetur. Nam quamquam, Bentlejum qui proxime exceperunt, interpretum nemo fere praeter* Sanadonum [2]) *in eandem rem denuo inquisivit, ita ut, sive triste illud vaticinium et auctoritas Bentleji, sive eximia rei difficultas eorum oculos praestrinxit, tacitum videri possint praebuisse consensum: non tamen in caussa sua defuit idem*

1) Jani templum Christo nascente reseratum cet. auct. Joanne Masson. Roterodami. 1700; ejusdem: Q. Horatii Flacci vita. Lugd. Bat. 1708.

2) Ed. Horat. Paris. 1728. II vol. 4., et 1756. VIII vol. 8.

ille **Massonus**, *qui nullis se minis deterreri passus in censura secundae Bentleji editionis (Amstelod.* **1713.**), *quae legitur in:* **Histoire critique de la république des lettres tant ancienne que moderne** (*Amstelod.* **1714.**) *Tom. V. p.* **148 — 203.**, *ejus temporum constitutionem dedita opera aggressus est et prosperrimo successu refutavit. Recentiore vero aetate etsi non defuerunt, qui plane Bentlejo adstipularentur, tantum tamen abest, ejus ut temporum definitio communem hominum doctorum plausum retulerit, ut, simulatque in accuratiore suavissimi poetae interpretatione denuo studium operamque collocarunt, alii eam recte se habere praefracte negaverint, uti Chr. Dav.* **Jani** [3]) *in praef. ed.* **1778.** *p. CXIV., alii ex parte improbaverint et Massono maxime duce studuerint probabiliora eruere. Horum in numerum cum praestantissimos Horatii interpretes,* **Mitscherlichium**, *Car.* **Vanderburgium**, **Heindorfium**, **Jahnium**, *Th.* **Schmidium** *retulerim, tum* **Weichertum** *et Carol.* **Passovium**, *quorum ille in „Poetarum latinorum reliquiis" (Lips.* **1830.** *8.) et in opusculo de L. Varii et Cassii Parmensis vita et carminibus scripto (Grimae* **1836.** *8.) ut de universa Venusini vatis explicatione optime meritus, ita in explorandis poematum temporibus egregia qua pollet doctrina et judicii subtilitate versatus est, hic in erudita commentatione de Horatii vita et aetate composita, quae epistolarum interpretationi germanicae praefixa est (Lips.* **1838.** *8.), eidem rei perscrutandae, ut par erat, operam dedit. Attamen hi omnes quoniam et brevius pro librorum suorum fine has quaestiones tetigerant et singulorum magis carminum quam librorum computarant tempora, eo profecto res adducta erat, ut, cum nec Bentleji nec Massoni nec aliorum constitutiones temporum aut confutatae omnino aut unanimi omnium consensu comprobatae essent, certa quaedam harum rerum*

3) Jani ita judicavit: Bentlejana temporum ratio sic simpliciter posita et vix poterit satis firmis argumentis adstrui, neque ullam probabilitatem habet.

ratio et norma deesset, et omnes omnium aetatum et hominum computationes infelicissime mixtae, si non penes singulos[4] *certe publica auctoritate valerent et quasi dominarentur. Inde operae pretium fecit meritoque gratiam iniit cultorum Horatii multiplicem*[5] *Carolus Kirchnerus, V. Cl., qui in quaestionibus Horatianis Numburgi anno 1834. editis non solum falsam esse Bentlejanam temporum descriptionem erudite et dilucide exposuit, sed novam etiam pro explosa substituit et ad certam quandam rationem revocavit. Paulo ante G. F. Grotefendi prodiit commentatio de Horatii vita perscripta in Erschii et Gruberi encyclopaedia literarum et artium, sect. II. tom. X. (Lips. 1833.) pag. 457 — 476. Qui cum rectissime sibi persuasisset non posse vere judicari de poetae vita, ingenio, arte, nisi poematum tempora accurate cognita essent, id ipsum munus praeclara usus doctrina subiit, tamen ut aliorum sententias parum curans et ad conjiciendum quam ad probandum promptior nimia plerumque confidentia rem expediret. Hi quidem viri in re tam lubrica et tot tantisque dubitationibus obnoxia non mirum est, quod saepe in diversas abierunt partes. Nec negaverim utriusque commentationibus egregie consultum esse Horatii explicationi. At in operis summa — utar enim Bentleji verbis — totoque constituendo rem eos infeliciter*

4) Breviter quidem sed verissime quid improbandum sit in Bentlejana ratione exposuit Zumptius, V. Cl., in censura „Horatii restituti a James Tate," Cantabrigiae 1832. editi, quae legitur in annal. crit. Berolin. ann. 1833. Novembr. p. 659 sq. Prius contra Bentlejum paucis plagulis disputavit Leps in scriptione scholastica „Ist die Meinung des R. B. über die Zeit, in welcher die einzelnen Bücher der Gedichte des Hor. verfasst worden sind, die richtige?" Neo-Ruppin. 1828. 4. edita.

5) Cf. qui censuram egerunt libelli Kirchneriani, Obbarius in Jahn. annal. 1836. vol. 16. fasc. I. p. 46 sq. Lange in annal. crit. Berolin. an. 1835. II. vol. p. 859 sq. Feam in ephemerid. liter. Halens. ann. 1836. Febr. No. 22. p. 169 sq. Tum Kirchneri computationibus plerumque calculum adjecit nuperrimus Horatii editor Jo. Casp. Orelli, V. Cl.

admodum gessisse censeo et ita a vero aberrasse, ut Bentleji vaticinium mirabili plane casu ad hunc usque diem evenerit. Miratus enim utriusque viri confidentiam, qua suam quisque rationem tanquam veram et certam proposuit, postquam Kirchneri potissimum argumenta examinare coepi, videor mihi intellexisse, cum certam aliquam deesse normam, ad quam tota computatio dirigenda fuerit, tum ipsum disputationis fundamentum falsis opinionibus, quin incredibilibus commentis inniti. Quod judicium si recte et vere me fecisse ipsa mea scriptione comprobatum fuerit, non vereor ne, quod denuo in eandem rem inquisiverim, acta egisse et superflua videar, neu vanae et temerariae impugnandi novandique libidinis coarguar; a qua eo me longius abesse arbitror, quo majore teneor spe, fore ut, cum certo aliquo fundamento nixus viam mihi communiverim ad certiorem singularum rerum demonstrationem, probabiliora et veriora quam prolata sunt proferam et falsas aliorum computationes, nisi commenta argumentorum vicaria attulisse visus fuero, labefactem et conquassem, ne dicam prorsus evertam. Neque tamen is ego sum, qui et falsa mihi potuisse obrepere et permulta, quae vera sunt, debere me aliis indecora plane arrogantia infitias eam. Ita autem instituam quaestionem, ut in priore parte generalem Horatianorum operum descriptionem temporum proponam, tum in altera in hos cancellos singula poemata distribuam et quasi includam. Quamquam non eo usque progrediar, ut vel eorum carminum quae temporis indiciis plane destituta sunt aetatem pro quorundam more certo investigare studeam.

Qua nimia diligentia non solum mihi ipse inanem operam insumpsisse viderer, sed etiam in justam aliorum vituperationem incurrerem. Atque hanc ut devitem, eo magis annitendum mihi est, quo certius non tam auguror quam scio non defuturos esse, qui, cum in aliis rebus perscrutandis versari malint, naso adunco et alto supercilio despiciant hujuscemodi quaestiones, et, dum in temporibus inveniendis elaboratur, vel temporis jacturam conquerantur.

PARS I.

DE ORDINE ET TEMPORIBUS HORATIANORUM OPERUM.

CAP. I.

Horatii vita ad annum usque 713 u. c. descripta, quo primum in poesin incubuit.

Q. Horatius [1]) Flaccus VI. Id. Decembr. [2]) a. u. c. 689.

---

1) Nomina ipse prodit. Quinti: Sat. 2, 6. 37. Horatii: od. 4, 6. 44. et epist. 1, 14. 5. Flacci: Sat. 2, 1. 18. et epod. 15, 12. Quantopere in Horatii nomine explicando olim halucinati sint interpretes, intelligi poterit tum ex God. Ephr. Muelleri libro (Histor. crit. Einleit. zu nöthiger Kenntniss der latein. Schr. Dresd. 1747.) vol. III. p. 365—548, tum ex annotationibus VV. DD. ad Suetonii vitam Horatii, quas collegit Richter. (Zwickaviae 1830.) p. 2. — Nuperrime C. L. Grotefend. in ephemerid. literar. Darmst. ann. 1834. p. 182 aliquot inscriptionibus fultus probatum ivit, quod jam G. F. Grotefend. in Ersch. et Gruber. encycl. l. l. p. 457. b. breviter significarat, Horatii patrem Venusiae coloniae libertum fuisse, et cum Venusia ad tribum Horatiam pertinuerit, inde nomen accepisse.

2) L. Cotta et L. Manlio Torquato css., teste Sueton. vit. — Annum et mensem poeta notat od. 3, 21. 1. epod. 13, 6. epist. 1, 20. 27; diem Sueton. tantum. Recte Vincentius Bellovacensis specul. histor. (ed. 1473.) lib. VII, 67. „Anno imperii Augusti XXXV, regni vero Herodis XXV (immo XXIX) Oratius IVII (leg. LVII.) aetatis suae Romae moritur." Mendum quod est in Chronico Hieronymi ad Olymp. CXCII. ann. 3. (MMVII.): „Horatius quinquagesimo aetatis

(a. Chr. 65.) Venusiae [3]), urbe in confinio Apuliae et Lucaniae sita, natus est patre libertino [4]) qui coactor erat [5]),

suae anno Romae moritur." dudum sustulit Scaliger scribens: quinquagesimo septimo.

3) Inde Horat. Sat. 2, 1. 35.

— — Sequor hunc, Lucanus an Appulus anceps,
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.

neque solum ad Aufidum se natum (od. 4, 9. 2.) et Camenam suam Dauniam dicit (od. 4, 6. 27.) sed ipsam etiam Apuliam vocat altricem (od. 3, 4. 10). Nec mirum, quod patriae amore ductus in imaginibus maxime pingendis saepissime in Apuliae loca vel inscius incidit. Itaque non tantum Appulos (epod. 2, 42. od. 3, 5. 9. — 16, 26.), siticulosam Appuliam (epod. 3, 16), Dauniam (od. 1, 22. 14. 2, 1. 34.), mare Apulicum (od. 3, 24. 4.), quin lupos Appulos (od. 1, 33. 7.) diserte commemorat, sed etiam montes Apuliae, quos notos sibi esse scribit Sat. 1, 5. 77., Volturem (od. 3, 4. 9.), Matina cacumina (epod. 16, 28. cll. od. 1, 28. 3 et 4, 2. 27. v. Mannert. Geogr. libr. VIII. cap. 6. p. 78. Passow vit. not. 238), Garganum nemus (epist. 2, 1. 202. ibiq. Schmid.), querceta Gargani (od. 2, 9. 7.), Venusinas silvas (od. 1, 28. 27.), saltus Bantinos (od. 3, 4. 15. Liv. 27, 26.), Aufidum fluvium (od. 4, 14. 25. 3, 30. 10. Sat. 1, 1. 58.), Bandusiae fontem (od. 3, 13. Fea ad h. l. et ad 3, 4. 15. tum v. Lombardi antica Topografia di Basilicata in Memorie dell' Instituto archeologico Tom. I. p. 210. 211. Kirchn. quaest. p. 60. §. 17. Schmid. ad epist. 1, 16. 22. Obbar. ad epist. 1, 10. 6.), urbes, celsae nidum Acherontiae, pingue Forenti arvum (od. 3, 4. 14 et 16), Luceriam (od. 3, 15, 14.), Canusium (Sat. 1, 5. 91. 2, 3. 168.), Rubos, Bariam, Gnatiam (Sat. 1, 5. 94 sq.), Tarentum (Sat. 2, 4. 34. 1, 6. 105. od. 3, 5. 56. 1, 28. 29. epist. 1, 7. 45. 1, 16. 11. cf. epist. 2, 1. 207.). Nosti etiam Saturejanum caballum (Sat. 1, 6. 59.).

4) Cf. epist. 1, 20. 20. Sat. 1, 6. 6. et 45. Horatius ingenuus susceptus est; nam libertinus inde ab Appii Claudii Caeci censura (447 a. u. c.) dicebatur non ut antea liberti filius, sed ipse manumissus v. Masson. vit. Hor. addend. p. 371. Heindorf. ad Sat. p. 153.

5) Ita quidem ipse poeta dilucide Sat. 1, 6. 86.

Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret olim,
Si praeco parvas, aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer.

ut non audiendi sint, qui secus tradant. Recte Sueton. in vita: patre libertino et exactionum coactore. Quo munere Venusiae fungebatur, non Romae demum, ut firmis parum argumentis nixi sibi persuaserunt Grotef. p. 458. a. et Obbar., censor Passovii libri in ephemerid. lit. Darmst. ann. 1834. p. 912. Matrem nusquam commemorat Flaccus. Sabinam autem illam anum in Sat. 1, 9. 30. Scholiastae habent nutricem, pariter halucinati hic atque de od. 3, 4. 10. (Altricis extra limen Apuliae.)

i. e. aut publicani minister et pecuniarum huic solvendarum exactor, aut argentarii mercenarius. Qui quamquam „macro pauper agello," (Sat. 1, 6. 71.) ut filius, „pauperum sanguis parentum" (od. 2, 20. 6.) recte se profiteri potuerit „in tenui re majores pennas nido extendisse" (epist. 1, 20. 21.), et a politiore urbanorum elegantia abhorruit nec literis fuit excultus: tam praeclare tamen pueri educationem instituit, ut non mirandum sit, quod justam invidendamque vel apud posteros meruerit memoriam. Fuit homo frugi et honestus, usu et exercitatione communis vitae pariter praeditus atque praeclaro recti pulchrique sensu. Cum igitur elucentes in puero ingenii dotes, animique vigorem et agilitatem perspiceret, noluit ludum Venusinum, cui Flavius tum praeerat magister, ab „infante non sine Dis animoso" frequentari, quamquam in eum

— pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto
Ibant octonis referentes Idibus aera; (Sat. 1, 6. 73.)

sed relicto agello

— — puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quos doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos.

Quin in curta supellectile Romae eum adeo liberaliter honesteque vivere jussit, ut (Sat. 1, 6. 87.)

— — vestem servosque sequentes
In magno ut populo si qui vidisset, avita
Ex re praeberi sumptus — — crederet illos.

Quae omnia nec commodi caussa nec vanitate quadam et inani gloriolae aucupio ductus fecit, siquidem nec ut lautiorem aliquando sibi filius rem pararet, nec ut ejus nobilitate aliquando ipse laudem caperet, tanta eum diligentia erudiendum curabat, et vero etiam optabat, ut aliquando

— — praeco parvas, aut, ut fuit ipse, coactor

mercedes sequeretur. Hinc praeter omnem doctrinam id semper summum putabat, ut bonis probisque moribus imbueretur pueri animus. Ne igitur illecebris urbanis rustica morum simplicitas corrumperetur, neu insitos probitatis igni-

culos vitae fluctus urbanae restinguerent, nondum corroboratum ipse Romam comitatus, in nova sede (Sat. 1, 6. 86.)

— — custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat [6]).

Quod quemadmodum patri honori dandum, ita est, quod filio mirum quantum profuisse laetemur in animi ingeniique conformatione. Cum enim singulari pater educandi ratione uteretur, hac, ut non tam jejunis praeceptis et commonitionibus, quam „exemplis vitiorum quaeque notando" (Sat. 1, 4. 105.) traditum ab antiquis morem servaret puero vitamque et famam incolumem praestaret [7]), donec sine cortice nataturus esset: inscius effecit, ut jam puerili animo studium ad hominum vitia attendendi eaque lepide et salse castigandi inculcaretur. Nec cassi labores erant in moribus pueri moderandis et emendandis. Quidni enim Flacco credamus, qui patris cura se liberum a gravioribus quae perniciem ferant vitiis mansisse, et mediocribus tantum quibus facile ignoscas teneri, libere et sincera fide affirmat [8])? Praetextatus Romam deductus est [9]), fortasse septennis

6) Praeter magistros literarios constat apud Romanos morum curam puerorum gessisse plerumque servos, qui dicebantur custodes, paedagogi. (Quintil. inst. or. 1, 1. 8. Hor. epist. ad Pison. 161.) Vel aetate provectioribus non deerant. Cf. Bernhardy histor. liter. Rom. p. 22 et not. 43. Schwarz in libro (Geschichte d. Erziehung) vol. I. p. 326 (ed. 1813).

7) Consimilem educandi rationem praedicat Demea senex in Terent. Adelph. 3, 3. 59 sq.

— — — Fit sedulo:
Nil praetermitto: consuefacio: denique
Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium
Jubeo: atque ex aliis sumere exemplum sibi.
„Hoc facito." — „hoc fugito." —
„Hoc laudi est." — — „hoc vitio datur."

8) Sat. 1, 4. 129 sq. — Audi Plin. epist. 4, 13. „Ubi enim aut jucundiūs morarentur quam in patria, aut pudicius continerentur, quam sub oculis parentum?" et Hor. Sat. 1, 6. 82.

— — Quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honos) servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi.

9) Cf. epist. 2, 2. 42. Romae nutriri mihi contigit. Sat. 1, 6. 76. Puerum est ausus cet. epist. 2, 1. 70. memini quae plagosum mihi parvo Orbilium dictare.

ann. u. c. 696. [10]), siquidem ne prima quidem elementa literarum Venusiae perdidicit. His igitur Romae in ludo aliquo publico literatoris [11]) imbutus est. Tum grammaticorum scholas adiit et variis humanitatis disciplinis a pluribus praeceptoribus [12]) institutus et eruditus est, etiamsi unum tantum diserte memoret Orbilium Pupillum Beneventanum, qui inde ab anno u. c. 691. majore fama quam emolumento Romae docuit [13]). Pro more institutionis scholasticae, qualis diu apud Romanos obtinebat [14]), studiorum cursum ab Homero [15]) auspicatus est, cujus carmina pariter ac poetarum Latinorum, Livii Andronici [16]) aliorumque ipsi dictabantur [17]). Deinde, ubi crevit intelligentia, histo-

---

10) Ita Weichert. de Var. et Cass. p. 38. statuit, multo opinor probabilius, quam quod Masson. vit. Hor. p. 19. conjecit, Horatium anno aetatis decimo Lares suos reliquisse i. e. a. u. c. 699. vel 700. Quamquam quominus ante septimum fere annum id factum credamus prohibet od. 3, 4. 9. (Me fabulosae.)

11) Nepos apud Sucton. de ill. gr. cap. 4.

12) Sat. 1, 6. 81. Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
circum doctores aderat.

Cf. Heind. ad Sat. 1, 6. 77. Mass. vit. p. 22. Nec defuerunt, qui nominatim afferrent alios v. c. Attejum Philologum, Cnejum Popilium. v. Richt. ed. Suet. vit. p. 146 et not. 41.

13) Epist. 2, 1. 71. cf. Sueton. de ill. gr. cap. 9. Bentl. ad epist. 2, 1. 69. Mass. vit. p. 22. Weich. p. r. p. 25 sq. p. 357. 37. Bähr. in libro: Röm. Literaturg. p. 222 et 710 sq. Passow vit. p. IX sq. et not. 16; commentat. in Jahnii annal. 1829. I. 3. p. 364 sq.

14) Quint. 1, 1. 12 et 1, 8. 5. „Optime institutum est, ut ab Homero atque Virgilio lectio inciperet, quamquam ad intelligendas eorum virtutes firmiore judicio opus esset." Cf. Schmid. ad epist. 2, 2. 44.

15) Epist. 2, 2. 42. Romae nutriri mihi contigit atque doceri, Jratus Grajis quantum nocuisset Achilles.

16) Epist. 2, 1. 69. Non equidem insector delendave carmina Livi
Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare. —

ubi Bentleji conjecturam: Laevi rectissime evertit Weich. de Laevio poeta §. 3. p. rel. p. 27 sq. 37. not. 14.

17) De quo more cf. epist. 1, 1. 55. 1, 18. 12. 2, 1. 110. Schol. ad Sat. 1, 10. 75. Weich. p. r. p. 25. not. 4. Passow vit. not. 20. — Caeterum recte mihi videtur conjecisse Rotterus (de Horatii studiis graecis. Gleiwitz. 1836. p. 6.), Horatium a tenerrimis

riae, philosophiae [18]) et accuratiori poetarum utriusque linguae studio operam dabat [19]), atque eo mox literarum et artium amore tenebatur, ut in tirocinio minime sibi persistendum esse censeret, sed quas primoribus tantum labris degustasset, eas penitius quasi arente fauce traheret et imbiberet. Itaque anno aetatis vicesimo [20]), u. c. 709. migravit Athenas, unde etiam tum omnis elegantior doctrina ad Romanos redundabat [21]),

Scilicet ut posset curvo dignoscere rectum,
Atque inter silvas Academi quaerere verum [22]),

philosophiae potissimum studiosus. Ibi eum in auditoribus Theomnesti Academici et Cratippi Peripatetici fuisse probabile est, quibus tunc ipsum cum caeteri juvenes Romani, qui studiorum caussa Athenis versabantur, operam

---

annis in domo paterna „lingua utraque" usum fuisse. „Constat enim, inquit, quam late ab antiquis temporibus pertinuerit graeci sermonis usus in Italia praecipue meridionali. Apulia et Lucania, quarum in confinio Venusium situm erat, ad eam Italiae partem numerabatur, quae Graecis colonis frequens nomen quoque Graeciae adepta erat." Facit pro hac sententia Sat. 1, 10. 30. (Canusini bilinguis.) eandemque proposuit Grotef. p. 458. a. cf. Pass. p. XI.

18) Non immerito suspicetur aliquis Horatium Philodemi Epicurei disciplina, cujus mentionem fecit Sat. 1, 2. 121., jam ante usum fuisse quam Athenas peteret.

19) Ea enim omnia continentur artibus, „quas doceat quivis eques atque senator Semet prognatos." Sat. 1, 6. 76. ibiq. Heind.

20) Ita Masson. vit. p. 33 sq. Anno u. c. 709. Ciceronis filius, Horatii aequalis, Bibulus, Messala aliique philosophiam artesque ingenuas addiscendi caussa Athenas abierunt; ac Ciceronis quidem filius, a. u. c. 690. natus, uno igitur anno Horatio minor, mense Aprili. Nec tamen inter utrumque familiarem usum fuisse, docte eleganterque ut assolet probavit Weich. de Var. et Cass. p. 328 — 334. cf. p. 36. Caeterum cum et manifestum sit, ante Caesaris necem patratam Horatium Romam reliquisse, et ipsius verba epist. 2, 2. 43: „Adjecere bonae paulo plus artis Athenae" brevem aperte commonstrent commorationem fuisse Athenis, cogimur fere, ut Massoni computationi adstipulemur.

21) Cf. Schmid. ad epist. 2, 2. 43. Cic. de off. 1, 1. 3, 2 cet.

22) Non Academicorum sectae se adscriptum fuisse his significat, sed philosophiae studium omnino. cf. Masson. p. 34. Nec in iis quae praecedunt verbis geometriam denotat, ut quibusdam placuit, quae indigne ne dicam inepte ita designaretur.

dabant [23]), tum maxima assiduitate quamvis dicis caussa M. Brutus [24]). Verbo significasse sufficiet, Attica studia ad animum pariter atque ingenium egregii juvenis excolendum, conformandum, emendandum haud dubie mirum quantum contulisse. Quidni enim tum philosophia et iterato exemplarium Graecorum, poetarum potissimum, studio, tum nobilium juvenum familiaritate et consuetudine, tum quod „mores hominum multorum vidit et urbes" eruditionem Horatii, animi cultum vitaeque communis prudentiam atque artem auctam et amplificatam esse verisimile sit adeo, ut ad totius vitae rationem et institutionem moderandam huic peregrinationi optimo jure tribuas summum gravissimumque momentum. Ipse quidem modeste dicit:

Adjecere bonae paulo plus artis Athenae.

Nec dubito tamen, quin his politiorem humanitatem et urbanitatem significaverit, qua studiorum curriculo quodammodo finem imposuit. Suaviter enim cum in loco grato delitesceret [25]), Romae infaustae illae tempestates exortae sunt, quae fieri non poterat quin et universam rempublicam et singulos cives vehementissime commoverent et perturbarent. Neque eae non tetigerunt Horatium. Etenim Brutus et Cassius, Caesare Idib. Mart. a. u. c. 710. interfecto, mense Sextili ejusdem anni [26]) „nunc metuentes arma Antonii, nunc ad augendam ejus invidiam simulantes se me-

---

23) Cic. de offic. 1, 1. 2, 2. 3, 2. (Quare quamquam a Cratippo nostro, principe hujus memoriae philosophorum, haec te assidue audire atque accipere confido.) 3, 33. fin. ad fam. 12, 16. 16, 21.

24) Plut. Brut. 24. *ἀναχθεὶς δ᾽ ὁ Βροῦτος ἐκεῖθεν ἐπ᾽ Ἀθηνῶν ἔπλει. Δεξαμένου δὲ τοῦ δήμου προθύμως αὐτὸν εὐφημίαις καὶ ψηφίσμασι, διῃτᾶτο μὲν παρὰ ξένῳ τινὶ, Θεομνήστου δ᾽ ἀκροώμενος τοῦ Ἀκαδημαϊκοῦ καὶ Κρατίππου τοῦ Περιπατητικοῦ, καὶ συμφιλοσοφῶν ἐδόκει παντάπασιν ἀργεῖν καὶ σχολάζειν. ἔπραττε δὲ τὰ πρὸς τὸν πόλεμον ἀνυπόπτως.*

25) Epist. 2, 2. 46. „Dura sed emovere loco me tempora grato."

26) Cic. ad Att. 16, 7. Mass. vit. p. 44.

tuere, urbe atque Italia profecti [27])" cum Athenas pervenissent maximeque a Bruto, qui clam bellum paraturus philosophiae studium simulabat, omnes qui Athenis commorabantur Romani juvenes ad arma excitati essent [28]), etiam Horatius a literis ad militiam protrusus est [29]), „Bruto a studiis philosophiae, in qua tunc erat celebri nomine, cognitus [30])." Itaque vel labente anno 710. vel initio sequentis Athenas reliquit; haud dubie enim una cum Bruto, a quo tribunus militum factus erat [31]), abiit. Atque hic quidem, postquam Cassius ad Syros contendit, primum in superiorem Macedoniam profectus mox transmisit in Asiam [32]), ut suos milites quam longissime seductos ab Italia ex provincialium opibus aleret. Ita Horatius quoque in Asiam venit [33]). Semel Brutus in Europam se recepit, quod novos in Macedonia motus metueret [34]), sed rebus confirmatis in Asiam revectus est. Quem ubi Cassius Smyrnae convenit, uterque audita triumvirorum conjuratione, quae ex V. Calend. Decembr. ann. u. c. 711. renuntiata erat, communi consilio pro populi Romani libertate agendum ratus junctis viribus in Macedoniam trajecit, vel prohibiturus, quominus

---

27) Vellej. 2, 62.

28) Dio Cass. 47, 20. Plut. Brut. 23. 24.

29) Epist. 2, 2. 47. Civilisque rudem belli tulit aestus in arma. cf. Mass. vit. p. 46. Weichert. de Var. et Cass. p. 329.

30) Sunt verba schol. Cruq. ad epist. 2, 2. 47.

31) Sueton. vit. „Bello Philippensi excitus a M. Bruto imperatore tribunus militum meruit." Hor. Sat. 1, 6. 48:

Quem rodunt omnes libertino patre natum,
Nunc quia sum tibi, Maecenas, convictor, at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.

32) Dio 47, 24.

33) Post Massonum fusius hoc ostendit Schmid. ad epist. 1, 3. 4. et 1, 11. 7. probantt. Passow p. XXXII. not. 92. Weich. de Var. et Cass. p. 40. not. 32. Grotef. p. 459. a. (Minus debebam confidentiloquus esse. Nam nimis me credulum iis quos laudavi accessisse nunc mihi persuasit acutissimus Lachmannus, praeceptor meus pie venerandus, qui in tanto certorum argumentorum defectu nil aliud certum esse me edocuit, quam potuisse Horatium in Asiam venire.)

34) Dio 47, 25.

hostis transiret, vel ipsam Italiam occupaturus [35]. Antea tamen et ipsi circumeuntes et per legatos emissos in suas traxere partes, qui nondum a se starent. Cassius Rhodum cepit, Lycios devicit Brutus [36]. Tum omnibus copiis in Europam trajectis et quidem

— — per freta vicinas inter currentia turris [37])

Thracia peragrata [38]) ad Philippos in Macedonia castra posuerunt. Eo igitur tempore Horatius quoque Asiam reliquit, ubi ab initio anni u. c. 711. usque ad aestatem anni u. c. 712. expeditionum quas Brutus suscepit [39]) particeps versatus erat. Mox adventare Caesar et Antonius. Et cum jam antea qui ab his praemissi erant C. Norbanus ac Decidius Saxa loca occupassent et castra metati essent, haud ita multo post signa conferri. Ita acerrimi libertatis vindices cum triumviris congressi duobus proeliis commissis et vicerunt et victi sunt, eorum ut fortuna, quae prona utrumque comitata erat, quasi fatigata paulatim demum labasse videri posset. Atque in priore quidem pugna Cassius ab Antonio fugatus et castris exutus cum Brutum quoque, qui vicerat Octavianum, superatum crederet, et vel terrore occaecatus, vel *οὐκ ἀκριβῶς (τὰ γιγνόμενα) διὰ τὸν κονιορτὸν ὁρῶν*, ut ait Appian. b. civ. 4, 113., centurionem quendam a se emissum, qui quid collega ageret exploraret, lento gressu una cum Bruti equitibus redeuntem vidisset, hostes accelerare opinatus Pindaro liberto cervicem porrexit [40]). Brutus ejus clade cognita clam collegae cadaver in Thasum deportari jussit et pecunia distributa verbisque consolatus

35) Dio 47, 32.

36) Dio 47, 33. 34. Vellej. 2, 69.

37) Epist. 1, 3. 4 ibiq. Schmid. Appian. b. c. 4, 82. Weich. p. r. p. 378 — 80.

38) En Horatium *αὐτόπτην!* Epist. 1, 3. 3. 1, 16. 13. od. 3, 25. 10.

39) Inde postea veteri suo sodali Pompejo Varo scripsit od. 2. 7.
O saepe mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiae duce.
Cf. Masson. vit. p. 55.

40) Dio Cass. 47, 46. App. b. c. 4, 113. Plut. Brut. 43.

milites in Cassiana castra, quod suis opportuniora essent, migravit. Dein noctu tantum hostium castra adortus et cum magno eorum detrimento per viginti fere dies ducens bellum, tandem militibus moram detrectantibus et quod suorum defectionem, quam nonnulli jam iniissent, majorem metueret, iterum cum hostibus conflixit. Victus autem acie fugatusque nocte se in tumulum recepit et rebus desperatis in Stratonis Aegeatae, familiaris sui, gladium incubuit exspiravitque protinus [41]). Cujus exemplum cum primarii viri secuti essent plerique [42]), Messala autem, quem poposcerant quidam ducem, „proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati, servari beneficio Caesaris mallet quam dubiam spem armorum temptare amplius" referente Vellejo Pat. lib. 2, 71.: qui sospites ex pugna evaserant, ii aut victoribus ultro se dederunt [43]), aut in fuga salutem quaesiverunt, partim ad Sex. Pompejum [44]), partim ad suos abeuntes. Quos si veluti rates fractae navis disjectas et procella huc illuc agitatas animo et cogitatione prosequimur, eorum in numero Horatium quoque fortunae fulminibus prostratum et tanquam alterum Icarum si non ex alto aethere tamen ex honorifica tribunatus dignitate in infimam egestatem dejectum non sine dolore videmus. Is enim pugnae Philippensis non varios tantum eventus et vicissitudines sed ipsam etiam stragem expertus et suis oculis intuens, strenuus libertatis propugnator, tum demum

Cum fracta virtus et minaces
Turpe solum tetigere mento

ex proelio profugus morti voluntariae anteposuit salutem, quamvis dubia hostium gratia et venia, atque famae paene dispendio emptam [45]). Etenim cum victis fuga-

---

41) Dio 47, 49. App. b. c. 4, 131. Plut. Brut. 52. 53. Vellej. 2, 70.

42) Dio 47, fin. App. 4, 135.

43) App. 4, 135 sq.

44) Ut Ciceronis filius, Cassius Parmensis, alii. cf. Appian. b. civ. 4, 51. 5, 2 et 139. Vellej. 2, 72. Masson. vit. p. 56. Weich. de Var. et Cass. p. 331.

45) In promptu sunt omnibus testes militiae Flacci loci hi: od.

tisque non omnino data sit impunitas et gratia a triumvi-

2, 7. 10. sq. 3, 4. 26. Epist. 2, 2. 48 et ex quorundam sententia epist. 1, 20. 23. (Me primis urbis belli placuisse domique.) ibiq. Schmid. et Passov. vit. p. XXXI. not. 83. Suet. vit. — Praeterea post Massonum vit. p. 53, Ommeren in libro suo (Horaz als Mensch und Bürger), Klotz. in vindic. Horat., Lessing. in eximia commentatione quae inscripta est: Rettungen des Horaz (Vermischte Schrift. Berlin 1784. Th. 3. p. 239 sq.) et Wieland. in introductione ad epist. 2, 1. nuperrime de stipendiis Horatii acutissime disputarunt Eichstad. in paradox. Horatianis quintum propositis (Jenae 1834.), Jacobs. in script. Miscell. Tom. V. p. 315 sq. Weichert. p. rel. p. 453. de Var. et Cass. p. 37 et 330. Passow vit. p. XXXII sq. Denique v. interpret. Suet. vit. ed. Richter. p. 8 — 10 et si tanti est Salverte, Horace et l'empereur Auguste (Paris 1823.) p. 150 — 153. Constat, quantopere in confessione illa Horatii dijudicanda recteque aestimanda, quam veteri suo sodali Pompejo Varo fecit:

Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi relicta non bene parmula,
Cum fracta virtus et minaces
Turpe solum tetigere mento.

ab hominibus doctis in diversas abitum sit partes. Dicam breviter, quod sentio. Horatius minime ignavus profugus scuto abjecto aciem reliquit, sed communis fugae post alteram cladem particeps fuit. Sed cavendum ne fortiorem habeamus quam fuit. Et nescio an nimis ejus virtutem bellicam exaggeraverit Lessingius ita disserens: (ed. Lachmann. Tom. IV. p. 28.) „Horaz war ein junger Mensch ohne Ahnen und Vermögen, und dennoch gelangte er gleich anfangs zu der Würde eines Tribuns. Ist es also nicht klar, dass Brut. persönliche Eigenschaften in ihm müsse entdeckt haben, welche den Mangel an Ahnen und Vermögen ersetzten? Was konnten dieses aber für Eigenschaften sein, wenn es nicht ein entschiedener Muth und eine vorzügliche Fähigkeit zur Kriegskunst wären?" Quod si verum esset judicium, mirandum esset, quod Maecenati ad bellum Actiacum abituro scripsit epod. 1, 15.

Roges, tuum labore quid juvem meo,
Imbellis ac firmus parum?

ubi aliud dixisse aliud sensisse videretur. In eo vero carmine, quod Pompejo Varo dicavit, abjectione illa scuti, sive vera fuit sive non, ex mea quidem sententia nil aliud significavit quam hoc: Se non usque adeo a partibus libertatis defensorum stetisse, ut acie Brutiana fracta vel mortem oppetendam duxerit, sed necessitati cedentem mutatoque consilio victorum gratia maluisse servari. Non igitur fortitudinem sibi abrogat in pugna praestitam sed eam tantum militiae suae adspergit maculam, quod non omnibus unguiculis pro partibus pugnaverit et vel ad internecionem usque in acie steterit. Posteriore tempore aperte Augusto gratificaturus cum sui suaeque militiae quadam irrisione scripsit epist. 2, 2. 48.

Civilisque rudem belli tulit aestus in arma
Caesaris Augusti non responsura lacertis.

et epist. 2, 1. 124 in faceta poetae descriptione haud dubie sua sti-

ris [46]), sed iis tantum, qui eorum in exercitus se distribui passi sunt, Horatium credibile est prius abiise in Italiam quam veniam impetrasset et postea demum eam adeptum esse [47]). Rediit in patriam fine anni u. c. 712. vel initio proximi, aetatis vicesimo quarto; nam pugna Philippensis

---

pendia respiciens; „Militiae quamquam piger et malus, utilis urbi." Caeterum „parmulae non bene relictae" mentionem non tam propterea factam esse judicaverim, ut fugam imagine significaret, quemadmodum summus ille Jacobsius statuit, sed ut hac etiam in re Archilochum et Alcaeum, qui et ipsi arma in proelio amiserunt (de Archilocho v. Archil. reliq. ed. Liebel. §. VI. p. 17 et fragm. 51. p. 147. Muret. var. lect. IX. 2. de Alcaeo Herod. 5, 95. Strab. 13, p. 600.), imitatus esse videretur, id quod nunc Weicherto quoque (de Var. et Cass. p. 38) et Orellio placere video.

46) Appian. b. civ. 4, 135. *ὁ δὲ σὺν τῷ Βρούτῳ στρατὸς, ὅτε ἐπύθοντο τεθνάναι Βροῦτον, πρέσβεις ἐς Καίσαρα καὶ Ἀντώνιον ἔπεμπον, καὶ συγγνώμης ἔτυχον, καὶ ἐς τὰ στρατεύματα αὐτῶν διῃρέθησαν, καὶ ἦσαν ἀμφὶ τοὺς μυρίους καὶ τετρακισχιλίους. παρέδοσαν δ' ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἑαυτοὺς καὶ οἱ κατὰ τὰ φρούρια, πολλὰ ὄντα.* — Neque tamen communem *ἀμνηστείαν* proclamatam fuisse omnibus inde patet, quod Caesar an. demum 714, cum contra Sex. Pompejum bellum pararet, impunitate proposita omnes eos recepit, qui aut proscripti fuerant, aut in bello Philippensi et Perusino militaverant, referente Dione Cass. 48, 29. *καὶ διὰ τοῦτό γε οὐχ ἥκιστα ὁ Καῖσαρ ὑπέμεινε, πάντας μὲν τοὺς ἐν τῷ πολέμῳ τῷ κατὰ τὸν Λούκιον τὸν τοῦ Ἀντωνίου ἀδελφὸν μεταστάντας πρὸς αὐτὸν, καὶ ἐξ αὐτῶν γε τῶν σφαγέων ἔστιν οὓς ὄντας, ἄλλους τε καὶ τὸν Δομίτιον, πάντας δὲ καὶ τοὺς ἐκτεθέντας ἐν τοῖς λευκώμασιν, ἢ καὶ ἄλλως πως τῷ τε Βρούτῳ καὶ τῷ Κασσίῳ συμπολεμήσαντας, καὶ μετὰ τοῦτο τὰ τοῦ Ἀντωνίου πράξαντας, καταδέξασθαι ἐπ' ἀδείᾳ.* — Quin Sueton. Oct. 13. Caesarem scribit: „successum victoriae minime moderatum esse, sed capite Bruti Romam misso, ut statuae Caesaris submitteretur, in splendidissimum quemque captivorum non sine verborum contumelia saeviisse." Quantopere Romae omnium animi suspensi metu anxiique fuerint, adventum Caesare proferente, intelligitur ex Dione Cass. 48, 3. — Senec. de clem. 1, 10. Ignovit abavus tuus victis; nam si non ignovisset, quibus imperasset?

47) Maecenate intercedente id factum esse tradit Schol. Acr. ad od. 1, 1. 2. „Quoniam eum a caede liberavit, Bruto a Caesare superato, vel quia per ipsum liberatus est indulgente sibi Augusto, et multa etiam illi donavit Maecenas, amicus Augusti Caesaris." Perperam. Ipsi enim Maecenati Horatius initio demum anni u. c. 717 innotuit.

incidit in auctumnum anni u. c. 712 [48]). — Sed falluntur qui recta via eum Romam revenisse judicant. Immo tritissimo itinere Brundisino [49]) eum usum primum in paternam sedem commigrasse eo magis adducor ut credam, quo minus intelligitur, cur in summam dejectus inopiam destitutusque fautoribus Romam elegerit domicilium, neque Venusiam abierit, ubi in patris agello victum sibi comparare potuit certiorem saltem quam alibi. Sed ubi fundo paterno privatum se vidit [50]), propriaeque telluris novum incolam, non patrem, offendit, eum verisimile est

Decisis humilem pennis inopemque paterni
Et laris et fundi

Romam profectum esse, ibi ut praeclaris naturae dotibus victum quaereret, et in eruditorum hominum consortio iniquae sortis solatium. Tum igitur — audiamus ipsum — eum „paupertas impulit audax, ut versus faceret.“ Quo quid significaverit, eo magis e re erit paulo accuratius exponere, quanto firmius ita fore fundamentum spero, in quo ipsa disquisitio nitetur, quoque facilior ad eam fiet transitus.

Nemini unquam dubium fuit quin Horatius in epistola ad Julum Florum suum data indignantem querentemque, quod nec epistola neque exspectata carmina a mendaci poeta missa sint, narratiuncula illa de Luculli milite a v. 26 — 40. exhibita suam ipsius historiam, sortis vices, hisque ad poesin factitandam procreatum incitamentum tanquam in

48) Cf. Noris. Cenotaph. Pisan. dissert. II. p. 133 sq., Masson. vit. p. 50., Weich. p. rel. p. 453. de Var. et Cass. p. 38.

49) Non audiendus Schol., qui ex itinere ei istud periculum accidisse tradit, quod commemorat od. 3, 4. 26., quo ad Palinurum promontorium vitam paene naufragio amiserit. v. Mass. p. 58. Pass. not. 97.

50) Proscriptione, quod procul dubio recte monet Schol. ad epist. 2, 2. 49. „Significat se proscriptum fuisse." Inepte enim Horatius se inopem paterni laris et fundi esse questus esset, si venditus fuisset a patre agellus, cum puerum Romam comitaretur (Ita Masson.). Venusia autem in octodecim illis civitatibus erat, quarum agri veteranis a triumviris exeunte anno u. c. 711. assignabantur, ut diserte testatur Appian. bell. civ. 4, 3. Cf. qui idem statuerunt Ommeren., Kirchner. quaest. p. 60. §. 18., Passov. vit. p. XXXVII. not. 102.

pictura repraesentaverit. Quod quo vividioribus adumbratum videmus coloribus, quoque id clarius e v. 41 — 54. elucet: eo magis miseris sane, quod paupertas illa audax, quae ad poesin Flaccum instigavit, ad perversa et iniqua judicia interpretes quosdam impulerit, inque fraudes induxerit multiplices. Iam vero ea quae de Luculli milite legimus, qui

— — collecta viatica multis
Aerumnis, lassus dum nocte stertit, ad assem
28 Perdiderat, post hoc vehemens lupus, et sibi et hosti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Praesidium regale loco dejecit, ut ajunt,
Summe munito et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum donis ornatur honestis;
Accipit et bis dena super sestertia nummum.

vide quam accurate — nisi imaginis involucrum fastidiose presseris — respondeant iis, quae de se Romae et Athenis faustis auspiciis nutrito conformatoque, sed belli civilis aestu in arma et pericula absumpto (v. 40 — 48.) effatur poeta a v. 49.:

Unde simul primum me dimisere Philippi
Decisis humilem pennis inopemque paterni
51 Et laris et fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem; sed, quod non desit, habentem
Quae poterunt unquam satis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem quam scribere versus?

Comparantem enim et diligenter pensitantem v. 28. et 51. non poterit praeterire, hanc esse loci sententiam. Quemadmodum miles ille rebus perditis desperatione actus, vitae prodigus, sibique pariter atque hosti iratus in furorem verius quam fortitudinem bellicam protrusus et abreptus sit, ita se Horatius ait acerbissima eaque fatali calamitate pressum jactura dignitatis, libertatis, reique familiaris ad eam usque morositatem et rabiem compulsum esse, ut totius vitae, sui ipsius et hominum osor indignationem, dolorem, odium, iram contumeliosis versibus

e pectore evomuerit et „jejunis dentibus acer" tanquam vehemens lupus in unumquemque audacter invectus in hominum vitiis et perversis studiis acerbe notandis acerbae fortunae solatium et levamen quaesiverit [51]). Hanc vero propensionem ad versus fundendos, quae juvenili fervore (od. 1, 16. 22. et od. 3, 14. 27.) etiam adaucta est, merito potuit Floro significare paulatim evanuisse. Nam ingenii fetibus claritatem nactus aerumnarumque veluti praemium propriam sedem cum vita et sorte humana quasi reconciliatus erat et mitiore utebatur animo et judicio. Itaque ut miles ille recuperatis quae perdiderat bonis noluit rursum dubium vitae discrimen subire quamvis laturus meritorum praemia: ita Horatius se abhorrere confitetur tum a Bioneis sermonibus et sale nigro, quibus hominum iram et invidiam denuo sibi conflaturus sit, tum vel a carminibus lusoriis scribendis, quod „anni euntes eripuerint jocos, Venerem, convivia, ludum."

Haec sola loci famigeratissimi interpretatio, quae magnum veritatis fulcrum adipiscitur inde, quod poetica Horatii rudimenta vere sermones et jambos fuisse scimus, verum ostendit impulsum, quo Horatius ad poesin factitandam primum ductus est. Quamquam quid loquor? Quemadmodum non tam fames et externa inopia, quam ipsa illa fatalis miseria et clades, acerba sortis vicissitudo indeque enata sollicitudo ac desperatio candidum Horatii animum pupugerunt, fodicarunt, exacerbarunt: ita nequaquam paupertas illa audax,

51) Cf. epod. 13, 9. Fide Cyllenea L e v a r e d i r i s p e c t o r a s o l l i c i t u d i n i b u s. — Sat. 2, 1. 5 sq. Ne faciam, inquis, Omnino versus. Ajo. Peream male, si non Optimum erat, v e r u m n e q u e o d o r m i r e. V. 10. aut s i t a n t u s a m o r s c r i b e n d i t e r a p i t, aude caet.
ars poet. 105. — — Tristia moestum

Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciva, severum seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; juvat aut impellit ad iram,
Aut ad humum moerore gravi deducit et angit;
Post effert animi motus interprete lingua.

Virg. Georg. 1, 145.:

Tum variae venere artes, labor omnia vicit
Improbus et duris urgens in rebus egestas.

quam breviter dixit, poesis studium et amorem primum excitavit, sed id tantum effecit, ut, cui arti animi caussa pridem indulsit privatim, eam jam in re adversa majore studio et impensiore opera palam exerceret. Quis enim pro ipsorum rudimentorum artificio verisimile dicat aut ingenio poetae dignum, si statuerimus eum tum primum poemata fecisse, quem ad poesin tam proclivem fuisse atque in poetis ita habitasse novimus, ut vel graecos versus funderet (Sat. 1, 10. 35.), cum Romana utebatur disciplina? Quare et Plauti illud (Stich. 1, 3. 24.): „Paupertas omnes artes perdocet ubi quem attingit,“ et quod Seneca dicit (epist. 15.) „Quos nova artificia fames docuit,“ et si qua alia afferuntur (v. Mitscherl. ad od. 3, 24. 42. Schmid. ad epist. 2, 2. 51.), ita tantum in Horatii paupertatem cadunt [52]), quatenus ea ad novam et singularem poesis speciem procreandam et conformandam compulsus et stimulatus est. Ita sponte pervenimus ad primitias Horatianae poesis. Abrupto igitur vitae filo quod nevimus continuo in ipsam disputationis arcem invadamus. Qua in re cum multa, quae infra demum probabuntur, praeoccupaturus sim, benevolum lectorem monitum rogatumque velim, ut, antequam commenta crepet, quae justis in priore parte destituta sunt argumentis, alteram inspicere ne dedignetur.

---

52) Supersedeo eorum opinationes refutare, qui Horatium, aut ut vitam sustentaret aut ut innotesceret et in potentium hominum gratiam se insinuaret, primum versus fecisse sibi persuaserunt. Neutrum fieri potuit acerbis illis et contumeliosis poematis, quibus tantum aberat ut divitias aliorumque favorem sibi compararet, ut inimicitias, simultates, odia. Et cum nec de Sosiorum praemiis illa aetate cogitari possit (Passov. vit. not. 104. p. 38.), nec omnino Horatius ab initio poemata publici juris facere voluerit (Sat. 1, 4. 71.), prior illa sententia ne hilum quidem probabilitatis habet. Sed altera quoque, quam inter alios Weichert. p. r. pag. 453. de Var. et Cass. p. 39. §. 7. Pass. vit. not. 104. et Grotef. p. 459. b. suam fecerunt, digna est quae oblivioni detur. Rem acu tetigit Kirchner. in quaest. p. 15 sq. not. 4., cujus accuratam disputationem legisse poenitebit neminem.

CAP. II.

De temporibus quibus Sermonum libri scripti et editi fuerint.

---

§. 1.

Liber Sermonum primus anno u. c. 719. monobiblos editus.

Omnium quae quidem aetatem tulerunt Horatii poematum numerum uno obtutu ad tempora definienda perlustranti non potest non gratum acceptumque esse, quod ipsius poetae testimonio compertum habemus, *Sermones* primum scriptos et editos esse. Nam cum dicat in Sat. 1, 4. 39 sq.:

Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis,
Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis, neque *si quis scribat*, *uti nos*
Sermoni propiora, *putes hunc esse poetam.*
Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.

et Sat. 1, 10. 46.:

Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
Atque quibusdam aliis, *melius quod scribere possem*,
Inventore minor.,

eum manifestum est solis sermonibus scriptis et evulgatis tum cum haec scriberet innotuisse, neque aut jambos, etiamsi forte jam composuerit, publici juris fecisse aut scripsisse lyrica carmina (cf. Kirchn. quaest. p. 5. §. 11.). Quod quemadmodum ea insuper re comprobatur, quod Horatium primum contumeliosos versus fecisse scimus: ita ulterius

progredi licet et inde, quod et Sat. 1, 4. et 1, 10. novae poesis defensionem continet, utraque igitur posteriore tempore composita esse debet quam aliae, et quarta quidem necessario post secundam (cll. 1, 2. 27. et 1, 4. 91.), decima rursus post quartam (cll. 1, 4. 6 sq. et 10, 1 sq. et 50. sq.), tum quod decima totius libri epilogus est, suspicari, Horatium cum Sermonum volumen primum *ederet* nec in lyricam poesin incubuisse, necdum epodon syllogen confecisse. Quaerenti vero mihi, quo circiter tempore liber primus Sermonum, qui, antequam conjunctim evulgarentur, si non in vulgi manus certe in doctorum fautorum amicorumque notitiam pervenerunt [1]), in unum corpus redactus et emissus sit, non dubium est quin extrema temporis indicia ex satira prima et decima petenda sint, quarum altera prologi, altera epilogi vices tenet. Ac primam quidem, quae certis aetatis vestigiis caret, nisi quod post annum u. c. 716. scripta est, quia poeta jam in Maecenatis familiaritatem adscitus erat, praeclare vidit Kirchner. in edit. Serm. Tom. I. p. 200. (v. 114.) ob miram similitudinem, quae inter vs. 114 — 116. et Virgilii Georg. I, 515 — 515. intercedat, post libri I. editionem Georgicon exaratam esse, propterea quod Horatium Virgilii locum imitatum esse verisimile sit. Atqui primus Georgicon liber ob v. 24 — 42. et v. 501 sq. prodierit necesse est anno u. c. 719 [2]).

---

1) cf. Masson. histoire crit. Tom. V. p. 154 — 173., de Sermonibus maxime p. 166. Qui refutaturus opinionem Bentleji, non singula poemata sed tota eclogarum volumina simul a poetis publici juris facta esse statuentis, bene provocat p. 156. ad Catull. 1. „Namque tu solebas Meas esse aliquid putare nugas." (Sueton. Caes. 73.), et pag. 160. ad Stat. Silv. praef. lib. I. (Quid quod haec serum erat continere, cum illa vos certe — quorum bonori data sunt — haberetis.). Eadem de re disputavit Kirchn. quaest. p. 6. §. 12 — 15. De recitationibus v. Thorbecke, de Asin. Poll. p. 104 sq.

2) Georgicon libros quattuor seorsum et diverso tempore scriptos et editos esse, tum argumentorum natura probatur, tum eo quod res gestae Octaviani, quae in singulis quibusque libris gratiae captandae caussa celebrantur, quamquam ad diversa tempora pertinent, ubivis tamen tanquam recens factae commemorantur. De temporibus, quibus Virgiliana opera composita sint, Serv. ad Aen. init. haec memoriae prodidit: „Amissis ergo agris Romam venit, et usus patrocinio Pollio-

Ergo eodem anno et Satira Horatii prima scribi poterat, et si scripta est, tota sylloge evulgari. Idque revera eo

---

nis et Maecenatis solus agrum quem amiserat recipere meruit. Tunc ei proposuit Pollio, ut *carmen Bucolicum* scriberet, quod eum constat *triennio* (cf. Donat. vit. §. 36.) scripsisse et emendasse. Item proposuit Maecenas *Georgica*, quae scripsit emendavitque *septem annis* (cf. Donat. vit. §. 40.). Postea ab Augusto Aeneidem propositam scripsit *annis undecim;* sed nec emendavit, nec edidit." Quae computatio verissima est. Nec erat quod Heynius (vit. Virg. ann. 725.) eam inter commenta Grammaticorum referret. Georgica confecta sunt ab anno u. c. 718. usque ad ann. 725. Tum Aeneidi conficiendae, de qua jam cogitabat cum Georgica scriberet (Georg. 3, 46.), operam dedit, insumpsitque, si anno 724. incepit, annos undecim ad mortem usque, quae incidit in ann. u. c. 735. — De Georgicon temporibus fusius exponam. Librum I. dixi anno 719. ad finem perductum et evulgatum esse. Vide mihi ne omnia indicia huc quadrent. Dicit v. 24.:

> Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
> Concilia, incertum est caet.

et v. 40 sq.:

> Da facilem cursum, atque audacibus adnue coeptis,
> Ignarosque viae mecum miseratus agrestes
> Ingredere, et votis jam nunc adsuesce vocari.

Etenim Octavianus, ad quem haec pertinent, anno u. c. 719. inter deos tutelares a civitatibus coli coepit, teste Appiano b. civ. 5, 132. (*καὶ ἦν ὁ Καῖσαρ ἐτῶν ἐς τότε ὀκτὼ καὶ εἴκοσι. καὶ αὐτὸν αἱ πόλεις τοῖς σφετέροις θεοῖς συνίδρυον.*). Et bello Siculo feliciter profligato, quod respexit Virg. v. 28.:

> An *deus immensi venias maris* ac tua nautae
> Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule caet.,

permulti honores ipsi decreti sunt (Dio 49, 15 ibiq. interpr. ed. Strz. vol. V. p. 588.), perennis supplicatio ea die qua vicisset instituenda, tum ut semper *corona laurea* uteretur. Hinc Virgil. a v. 26. ita perrexit:

> — et te maximus orbis
> Auctorem frugum tempestatumque potentem
> Accipiat, cingens *materna* tempora *myrto.*

In his apte verba „tempestatumque potentem" traxeris ad naufragium, quo Octaviani classis ad Palinurum promontorium vere ann. u. c. 718. periclitata est (Dio 49, 1. Vellej. 2, 79. Appian. b. c. 5, 98.), ita ut poeta bellum adversa fortuna inchoatum ab Octaviano tanquam procellarum mariumque potente prospere ad finem perductum significaverit. Certiora indicia praebent v. 500 sq.:

> Hunc saltem everso juvenem succurrere saeclo
> Ne prohibete! Satis jam pridem sanguine nostro
> Laomedonteae luimus perjuria Trojae.
> Jam pridem nobis coeli te regia, Caesar,
> Invidet atque hominum queritur curare triumphos.

tempore factum esse, non posteriore, pluribus rationibus confirmatur.

Primum enim — missis aliis rebus — patet Horatium, si ann. u. c. 713. vel 714. versus facere coepit, intra sex annos commode decem sermones conficere potuisse. Quin etiam, nisi ingenii ubertatem et feracitatem ei abjudicare volueris, quam poteris artissimos constitues temporum cancellos; id quod ipsum Bentleium nisi me fallit permovit, ut brevissimum singulis libris confectis temporis spatium assignaret [3]).

Quippe triumvirorum parum firma fide cum nemo non mox erupturum bellum praesagiret, veluti communium votorum interpres optabat poeta, ut tandem aliquando Caesar fluctuantem reipublicae statum tolleret victor. Tum qui commemorantur triumphorum apparatus, eos referes ad ann. 718., quo Pompejo victo Etruriaeque tumultu sedato Octaviano ovatio decreta est (Sueton. Oct. 22. Dio Cass. 49, 15. Jahn. introd. Virg. p. XXIII.). Denique quod dicit v. 509 sq.

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
Vicinae ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt.,

id pertinet tum ad infelices Antonii pugnas cum Parthis eodem anno commissas (Dio 49, 25 sq.), tum ad motus, quos Etruriae urbes, Alpini et Illyrici populi aliique excitaverant (Dio 49, 34 sq.). Ad eos componendos Octavianus profectus rediit Romam ann. 719. exeunte (Dio 49, 38.). Expeditionem, quam in Britanniam suscepturus erat, Pannoniorum et Dalmatarum exorta rebellio prohibuit. Eam tamen respexisse Virgilium puto in v. 30. „tibi serviat ultima Thule." — Liber Georgicon II. post pugnam demum Actiacam exiit, id quod certissime probant vs. 170.:

— — et te, maxime Caesar,
Qui nunc extremis Asiae jam victor in oris
Inbellem avertis Romanis arcibus Indum.

victis enim Antonio et Cleopatra Octav. per Syriam in Asiam profectus Parthica composuit (Dio 51, 18. Suet. Aug. 26.). Eidem tempori convenit Dacorum mentio v. 497. facta (aut conjurato descendens Dacus ab Istro.). Daci enim, qui Antonio se addixerant, tumultuati sunt, cum is superatus esset (Dio 51, 22—23.). — *Liber III.* confectus et editus est ann. 724. vel init. seq., antequam Octavianus ex Asia rediisset triplicique triumpho acto (Dio 51, 21. intpr. Strz. VI. p. 27. not. 180.) Janum clausisset (cf. v. 16 — 33.), itemque *lib. IV.*, qui, si genuini essent vs. 559 sq. (v. Heyn. vit. 724.), necessario referendus esset ad ann. 724. Caeterum adi Weich. poet. rel. p. 314. not. 26. de Var. et Cass. p. 54. et not 45., et Masson. Jani templ. res. p. 121.

3) Mirari satis nequeo, quod sunt, qui Horatium praeter ea quae habemus poemata nulla scripsisse autument (v. Kirchn. quaest. p. 52.

Deinde nusquam posterioris temporis vestigium exstat. Nam nec Cassii illius *Etrusci* „ambusti capsis et libris" mentionem (Sat. 1, 10. 62.) nunc quisquam post accuratissimam Weicherti disputationem (de Var. et Cass. Parm. p. 213 sq. inpr. 265. 66.) ad Cassium ***Parmensem*** anno u. c. 723. demortuum referet, nec satira 8., in qua novi Maecenatis horti in Esquiliis aedificati (v. 7. et 14.) commemorantur, cum Kirchnero quaest. §. 34. p. 16. propterea anno 721. attribuenda est, quod in Sat. 2, 3. anno 722. scripta Maecenas in aedificando occupatus appareat (v. 312.), utraque igitur tempore non nimis inter se disjuncta esse potuerit. De qua re dicam infra. Immo nil impedit quominus totum librum anno u. c. 719. confectum fuisse et vel hoc vel sequenti — hoc enim in re incerta largiar — paulo post 1. Georgicon publici juris factum esse statuamus. —

Porro idem suadent Sat. 1, 10. vs. 45 sq.:

— molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenae.

Nam ex his apparet Virgilium illo tempore Bucolica tantum et Georgica scripsisse, necdum Aeneidem coepisse stilo signare. Jam cum Georgica anno u. c. 724. absolverit et tum Aeneidi conficiendae operam dederit, Horatii satiram apertum est non post illum annum scriptam esse. Sed antecessit etiam multum id tempus. Nam in v. 42. perhonorifica Pollionis mentio injicitur, ut qui tunc ipsum praestantissimas tragoedias scripserit. Is vero intermisso aliquantisper tragicae poesis studio a. u. c. 724. ad opus historicum componendum se accinxit, *„arma civilia nondum expiatis uncta cruoribus"* descripturus, ipso Horatio teste (od. 2, 1. cf. Weich. de Var. et Cass. p. 53.). Ergo satiram 10. prius exaratam esse apparet quam Pollio bel-

---

§. 6. Weich. p. rel. p. 300. de Var. et Cass. p. 40. et alibi.). Quod quemadmodum per se incredibile et subabsurdum est statuere: ita si non ingenio certe arte Horatii indignum. V. modo Sat. 1, 4. 138. 139. 1, 6. 122. Multo rectius de studiis et multiplicibus ejus exercitationibus judicavere Passov. vit. p. 52. not. 157. 29. 181. et Grotef. p. 459. b.

lorum civilium historiam contexere exordiretur. Nunc cum Georgica anno demum u. c. 724. vel initio sequentis absoluta sint, necesse est aut *Bucolica sola* prodiisse statuas eo tempore quo Horatius *„molle atque facetum Virgilio Camenas rure gaudentes annuisse"* scripsit (ita Masson. vit. p. 158.), aut haec et *Georgicon aliquam partem.* Utrum verius sit, facile dijudicabit, qui mecum Horatium in prima satira Virgilianum locum ante oculos habuisse existimaverit. Nam ut in prima finem libri I. Georgicon aliquatenus expressit, ita in epilogo libri, dum blandam poeticorum Virgilii studiorum mentionem facit, Bucolica et 1. Georgicon volumen, quod solum prodierat, respexit. Solum autem 1. Georgicon volumen publici juris factum fuisse tum cum prior Sermonum liber evulgabatur, eo magis adducor ut credam, quo probabiliore mihi videor conjectura perspexisse, Georgicon volumen II. post editum demum librum Sermonum I. publicatum esse.

Quotiescunque enim pulcherrimam felicitatis descriptionem vitae rusticae in Virg. Georg. libr. II. v. 458 sq. relego, mihi temperare non possum quin Virgilio in compositione et primi versus et totius loci satiram Horatii primam obversatam esse putem. In qua cum quaeratur, qui fiat, ut nemo sorte sua contentus vivat, probeturque exemplis, plerosque omnes, militem, mercatorem, jurisconsultum, agricolam laudare aliorum hominum fortunam: quis pro intima utriusque poetae familiaritate et pro studio, quo Virgilius haud dubie Horatii scripta legit, ab omni probabilitate recedere dicat, si statueris, Mantuanum poetam vitae rusticae suavitatem et emolumenta descripturum bene memorem fuisse querelarum Horatiani istius agricolae,

> *— datis vadibus qui rure extractus in urbem*
> *Solos felices viventes clamat in urbe,*

et tum ponderosum initium versus 458.:

> *„O fortunatos nimium, sua si bona norint,*
> *Agricolas."*

ad illud Horatii: *„O fortunati mercatores"* composuisse, tum verbis *„sua si bona norint"* totam sententiam, quam Horatius fusius in satira prima tractavit, in recta suae

sortis aestimatione felicitatem sitam esse, expressisse quamvis breviter. Cui conjecturae qualicunque ut indulgeam, non tam aliorum quoque versuum et sententiarum similitudo (cf. Georg. 2, 508. et Sat. v. 41. Georg. 513. et Sat. 28. Georg. 502. de diversis hominum studiis) me permovet, quam quod hunc ipsum locum rursus imitatus est Horatius in epod. 2. „*Beatus ille*" sed tam singulari modo, ut consilium quod habuerit vix queat perspici. Etenim certum quidem est et indubitatum, Venusinum in celebrandis vitae rusticae laudibus pressisse Virgilii vestigia (Agnoverunt jam Schol. cf. Kirchn. Sat. ed. Tom. I. p. 200. quaest. p. 29. §. 54.), sed eas cur Alfio foeneratori tribuerit, et quid subita mentis immutatione istius hominis sibi voluerit, etiam nunc dubium est. Vide autem quam ex nostra ratione omnia sint explicatu facilia. Expresserat Horatius in fine Satirae primae libri I. exitum Georgicon. Quam blandam observantiam cum Virgilius vicissim imitatione compensasset, ille praeclara aemulatione effinxit Virgilianum locum in epod. 2., tamen ut pro festivo suo ingenio singulari carminis compositione probaret Virgilio, *etiamsi nossent* sua bona homines, tamen eos insana plura habendi cupiditate a cognoscenda percipiendaque cujusque sortis felicitate retineri. Alfius ille norat quidem vitae rusticae suavitatem, sed lucri studio captus nec poterat nec volebat eam amplecti. — Qua amabili Mercurialium virorum concertatione fieri non poterat quin eorum fautores, quorum in erudito consessu poemata recitabantur, summopere delectarentur et tum suavem Virgilii animum tum callidam Horatii festivitatem admirarentur et plurimi facerent.

Postremo altum silentium, quod de Caesare Octaviano ejusque rebus gestis in libro I. Sermonum tenuit Horatius, nescio an omnium gravissimum documentum sit, quo hujus voluminis confectionem et editionem ultra ann. u. c. 720. proferre vetemur. Non enim fortuito id accidisse, sed consulto Horatium de imperatore tacuisse, et propterea quidem quod nondum ad ejus partes transierat et sollicitudine ac moerore confectus non minus hunc quam Antonium

aversabatur [4]), tum inde efficitur, quod non solum familia ribus Octaviani[5]) aliquoties illusit sed ipsum etiam, dum vitam impudicam acerbe perstringit, tecte carpsit[6]), tum quod statim in fronte secundi voluminis (Sat. 2, 1. 10. et 84. 2, 5. 62.), quod non ita multo post pugnam Actiacam publici juris factum videbimus, tam dextram ornatamque Octaviani laudem intexuit sermoni, ut dubitari non possit quin, quam antea ei nondum tribuerat reverentiam et verecundiam, eam tum palam voluerit attestari. Quodsi igitur certum est Horatium eo tempore, quo librum 1. Sermonum composuit, nondum Octaviano favisse, nec ipsi innotuisse [7]), quaerendum erit, quando ei bene cupere coeperit. Id autem aliquot annis ante pugnam Actiacam factum esse valde probabile est. Etenim non solum brevi post hanc *„victore laetus Caesare"* exsultat seque aperte ejus partes sequentem prodit epod. 9. (v. 2. 21—24. 37.) Sat. 2, 6. 51 sq. od. 1, 37. 16 sq. et ante eam Maecenati in bellum profecturo se comitem esse velle paratumque esse omne Caesaris periculum una subire scribit epod. 1., sed prius etiam cum Maecenate diem, quo Sex. Pompejum a Caesare victum esse nuntius allatus erat Romam, festis dapibus celebravit (epod. 9, 7.) i. e. anno u. c. 718., quo Sex. Pomp. Asiam fugit, aut a. 719., quo jugulatus est. Quid mirum? Ex quo tempore Horatius fautoribus et amicis utebatur, qui Octaviani partes probarent, Maecenate, Virgilio, Vario (Weich. de Var. et Cass. p. 33 sq. et 72.)

---

4) Nude utrumque commemorat Sat. 1, 3. 4. (Caes.) et Sat. 1, 5. 33. (Antonium). Nec probabile est, quod Weich. p. r. pag. 445 sq. de Var. et Cass. p. 267. not. 48. et p. 370. statuit, Horatium M. Antonio triumviro favisse, quia ipsi cum Julo Antonio, triumviri filio, artior familiaritas intercesserit (Weich. de Var. et Cass. p. 344 sq.).

5) in Sat. 2. Tigellium, C. Cupiennium Libonem et v. 26. Agrippam (immerito dubitante Weich. p. rel. p. 456.), in Sat. 4. et 10. Petillium, alibi alios sugillat. v. infr. ad Sat. 1, 2. et Weich. p. r. p. 298. 423. 429. Passov. vit. not. 166. et 254.

6) Weich. de Var. et Cass. p. 34.

7) De Octavio, qui Sat. 1, 10. 82. memoratur, ignoto Horatii amico v. Weich. poet. reliq. p. 219.

aliisque, haud dubie odium, quod in publicae libertatis oppressorem conceperat, paulatim placabatur et restinguebatur. Et cum Octavianus moderatione sua, beneque patriae consulendi simulatione ab eo maxime tempore, quo Antonius a plurimis contemni atque hostis judicari coepit (ann. 718. Dio 49, 32. de anno 722. v. Dion. 50, 1. 4.), majore fructus sit civium amore: quidni sub eandem aetatem etiam Horatium illi indulsisse et cum eo quodammodo reconciliatum esse verisimile sit? Itaque omni opinor jure statuitur, Horatium per ann. 718—20. inflexa veluti mente pristino suo adversario coepisse favere. Quod si verum [8]), Sermones libri I. sponte apparet non potuisse post illud tempus scribi. Atque ita temporis limitem, ad quem usque liber scriptus sit, invenimus eundem, quem prologo et epilogo circumscribi supra vidimus.

Sed quoniam hac in disputatione et Sermonum libros seorsum prodiisse [9]), et Satiram libri I. primam prologum esse, decimam epilogum ut concessum sumpsi, restat ut utrumque quoad ejus fieri possit argumentis fulciam, praesertim cum aliter sentire viderim Zumptium in annal. crit. Berolin. ann. 1833. fasc. 83. p. 659., Kirchn. in quaest. p. 13 sq. ejusque censores Lange in annal. crit. Berolin. ann. 1835. 2. vol. p. 859. et Feam in ephemer. liter. Halens. ann. 1836. fsc. 22. p. 173.

---

8) Falluntur qui Horatium anno demum u. c. 725. ad partes Octaviani transiisse autumant, Weich. p. r. p. 298. not. 22. Pass. vit. not. 100. 133. 134. 146. 149. ad Sat. 1, 3. 82. Obbar. epist. 1, 1. 101. Grotef. p. 466. b. Quos meliora jam docere poterat Scholion *Cruq.* ad epod. 1, 7. „Dicitur Caesar Augustus Horatio dedisse militiae vacationem, cum id aliis denegasset. Nam totam urbem ad delectum vocavit. Valde enim timuit Antonium." Quod ut immerito commenticium dixeris, ita certo probat ipsum Augustum jam anno 723. Horatio favisse. Paulo aliter *Acron* ad l. l. „Ipso (Maecenate) enim agente Hor. ab Augusto militiae vacationem meruerat, quod injucundum sibi sine ipso confirmat." Idem vero ad Sat. 1, 5. 2. „Horatius missus fuit cum Heliodoro a *parte Caesaris.*" i. e. 717.

9) Idem statuerunt post Bentlejum recentiores fere omnes, Heind., Spohn., Jahn., Weich. p. r. pag. 277. 78. §. 3. pag. 298. not. 22. de Var. et Cass. p. 49. et 238., Passov. not. 166. p. LXII., Obbar. in Jahn. annal. 1836. 16. vol. 1. fasc. p. 46.

Ac primum quidem, si seorsum utrumque librum evulgatum esse aut sumimus aut probabilibus rationibus ducti pro certo ponimus, id nequaquam veterum mori repugnare velim animadvertas, siquidem non solum Virgilii Georgica, Propertii[10]) et Tibulli[11]) libros primos singulatim prodiisse certo scimus, sed ipsius etiam Horatii epistolarum librum I. et carminum IV. Idque rei naturae quam maxime consentaneum est in iis libellis, in quibus non unum argumentum continua compositionis serie tractatur, sed varia poemata continentur, qualia prout placuit aut plura poeta scribere poterat aut non.

Deinde rationes perpende, quae magnopere suadent, ut idem in Sermonum libris factum esse credamus, hasce:

1. Omnes secundi voluminis Sermones posteriore tempore scripti sunt, quam qui in primo leguntur. Quod etiamsi non ubivis possit evidenter demonstrari, id saltem pro certo affirmaveris, nullum esse indicium, quod contrarium probet, et e diversa Sermonum natura et indole haud dubie diversae poetae aetati tribuenda id ipsum quod dixi probabile fieri, ne dicam evinci. Non enim ii audiendi sunt, qui hanc illamve libri II. satiram ad idem tempus pertinere, quo primus confectus fuerit, solis conjecturis probatum iverunt, scilicet ut praeceptam suam opinationem, libros conjunctim emissos esse, aliqua certe veritatis specie fulcirent. Ita Kirchner. quaest. p. 60. §. 18. speciosius quam rectius Ofellum anno u. c. 717. adscripsit. Et cum quartam libr. I. satiram ad hiemem anni 722., decimam propter Cassii Etrusci mortem (v. 62.) ad exitum anni 723. prava computatione retulisset, indeque „Damasippum“, quem primis anni 722. mensibus satis recte assignavit, illis eclogis tempore praeponendum esse deduxisset: non erat sane quod ejusmodi suspicionibus nixus promiscue utriusque sylloges sermones exaratos esse putaret evinci, quin etiam uno codemque tempore libros vulgatos pro certo poneret. Certiora in re sublesta argumenta flagitabit,

---

10) Propert. ed. Lachm. praef. p. XXVII.

11) Lachm. ad Tibull. p. 44. et Dissen ed. Tib. p. 20.

qui *plerosque* II. voluminis Sermones evidenter serius compositos esse quam primi meminerit, tum plura omnino isti rationi adversari, favere nostrae.

2. Videamus enim de librorum differentia. In altero cautior multo et mitigatior Satira est quam in priore. Acerbam mordacitatem, qua in hoc in unumquemque vel recto vel ficto nomine notatum libere invehitur — Sat. 2. 3. 7. 8. — frustra quaesiveris in altero. Hic non tam singulos homines quam morum et totius vitae, quae qualisque tunc fuit, perversitatem derisit, idque tam caute, ut omnem cavillationem non ex sua ipsius persona ut antea faceret, sed dramatica usus forma tribueret aliis. Quo artificio cum poeta referentis veluti actoris partes ageret [12]), fieri non poterat quin multo tutius et minore offensione circum praecordia hominum luderet. Dramatica vero forma ut satira mitior et minus acris facta est, ita perfectior etiam et omnibus numeris absoluta. Merito enim secundi voluminis eclogas ad unam omnes consummatissimas judicaveris. Iam cum duplicem hanc satirae mutationem inter se cohaerere et studiis, ingenio vitaeque conditioni poetae respondere, quin ex uno eodemque fonte profectam esse non tam consentaneum quam necessarium sit: utriusque rei caussam ex diversa poetae aetate repetendam esse is opinor concedet, qui verum impulsum, quo ad hoc poesis genus ductus sit, crediderit eum, quem supra significavi. Namque ut mitigata ista libri II. satira plane respondet poetae animo prospera fortunae vicissitudine emollito et cum vita quasi reconciliato (Sat. 2, 1. 44.: *pacis cupido*): ita eadem, quod perfectior est et praestantior — vel si versuum compositionem respexeris — ingenium prodit longiore exercitatione cultum et corroboratum. Quare vel inde in altero libro poetam aetate provectiorem perspexeris [13]). Accedunt alia. Absunt in posteriore libro flagitiosa et impudica. Multa tractantur quae ad philosophiam pertinent. Multorum hominum, quos in priore sugillavit, nulla in altero

---

12) Bene hac de re disseruit Passov. vit. pag. LXVIII. et not. 179.

13) cf. Passov. vit. not. 173. 174. 179.

mentio, ut Tigellii, Demetrii, Fannii, Fabii aliorumque, quippe quorum intermortua erat memoria. Contra in priore nullum vestigium, quod aut villam possedisse poetam aut scribam fuisse [14]) commonstret. Quem obiter tangit Octa-

---

14) Huic argumento non ita multum tribuerim. Nam scriptum quaestorium Horatium sibi comparasse, ut refert Sueton. vit., merito me judice in dubium vocavit *Sanadon.* in edit. Hor. (Amst. et Lips. 1756.) Tom. I. p. 133 et ex recentioribus primus *Paldamus* (in censura Passovii libri, quae legitur in Seebod. Jahn. et Klotzii annal. ann. 1835. vol. 15. p. 84.), scite monens istam narrationem ex solo versu 36. Sat. 2, 6. eoque male intellecto fluxisse videri. Profecto plura sunt quae rei fidem infringant. Nam cum Horatium, si unquam scriba fuit, statim post reditum ex Philippensi pugna vitae sustentandae caussa tali munere functum esse et per se satis credibile sit (ita judicat etiam Grotef. p. 459. b.), et Suetonii verbis comprobetur: „*victis partibus, venia impetrata*" (quae Passov. not. 105. pag. XXXIX. perperam ad id tempus retulit, quo Sex. Pompejus superatus est): mirum sane est in priore Sermonum libro nullam hujus rei mentionem fieri et quaedam etiam adversari. Etenim non solum Sat. 1, 5. 34. acerba irrisione *Aufidium Luscum*, insanum illum scribam, tangit et v. 66. adeo non honorificam scribae *Sarmenti* (cf. Weich. p. rel. p. 224 sq. not. 12.) mentionem injicit, ut eo tempore vix ipse potuerit in scribis esse, sed etiam in vitae suae quotidianae descriptione, quam Sat. 6, 111 sq. dedit, nil plane de eo munere profert, quin negotiis se liberum esse perspicue affirmat. v. modo v. 110., „*Quacunque libido est, Incedo solus.*" v. 128. „*domesticus otior.*" Solum quod possis afferre testimonium est in Sat. I, 4. 138. „*ubi quid datur oti, Illudo chartis.*" Quibus verbis si revera muneris alicujus vacationem significavit, et si ordinem quo leguntur Sermones secundum temporis seriem, qua scripti sunt, constitutum esse recte dixeris: Horatius, si unquam, debebit ad id usque tempus, quo Sat. 4. composuit, scriba fuisse, neque vero posteriore. Nam cum provectior aetate plerumque ruri degerit (test. Suet.), ita otio literario deditus, ut epistolarum scribendarum munus, quod Augustus (anno fere u. c. 731. cum aegrotabat, ex conjectura Massoni vit. p. 226.) ei obtulit, recusarit (Suet. Wiel. ad ep. 2, 1.), deinde cum improbabile sit eum, ubi in principum familiaritate fuit, in scribarum grege amplius versatum esse, qui honesti quidem per se erant (Cic. Verr. 3, 79.), sed annumerabantur tamen ministrorum magistratuum inferiori classi (Schmid. ad epist. 1, 8. 2.): summo jure Wieland. ad Sat 2, 6. 36. conjecit Horatium ad id usque tempus, quo Maecenati insinuatus sit, scribae provincia functum esse, postea se abdicasse. Hoc factum fuerit necesse est anno u. c. 717. (Ita Jahn. quoque statuit in edit. p. 270. et Obbarius in Zimmermanni ephemerid. ann. 1834. p. 915.). Quo autem tempore scripsit (Sat. 2, 6. 36.):

De re communi scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti,

eo dudum desierat scriptorio munere fungi. Nam etiamsi nolis

vianum perhonorifice et de industria commemorat aliquoties in altero.[1] Cujus in primo severus et acerrimus judex et aestimator fuerat, Lucilium statim ab initio alterius aliquanto rectius et multo mitius dijudicat (v. 17. *sapiens* Lucilius. v. 29. Lucili ritu, nostrum melioris utroque. v. 74. Quidquid sum ego, quamvis Infra Lucili censum *ingeniumque*), ita profecto, ut nisi temporis spatium intercessisse dicas mutatum illud et a priore plane diversum judicium explicari nequeat. Quae omnia si complectimur, quis tandem est, qui diversum compositionis tempus, diversam poetae aetatem, mutata studia et sensus luculenter commonstrari negaverit? Iam si libri II. Sermones ad unum omnes post primi *conscripti* sunt, videamus quid colligi possit. Nam quamquam illud, quod probandum nobis sumpsimus, diverso tempore et separatim utrumque librum *evulgatum* esse, minime sequatur necessario: tamen et fieri potuisse intelligitur et factum probabile esse. Esto enim. Fuerit uterque liber uno eodemque tempore editus. Eccui non mirum videatur, Horatium adeo constanter temporis ordinem servasse, ut nullam plane habuerit argumenti et compositionis rationem, qui in tribus carminum libris conjunctim publicatis singulorum natales ita non respexit, ut diversissimae aetatis carmina juxta collocaverit? Cur tandem adeo praevaluerit temporis ratio in Sermonum ordine constituendo, ut vel Octaviano justam denegaverit observantiam ea aetate, qua haud dubie ipsi favit? Cur tandem maledicentissimam libri I. satiram secundam statim in fronte operis posuit et pertinaciter de Octaviano tacuit, cujus vel secunda manu honorificam potuit mentionem facere? Quidni Satiram I. nonam, cujus compositio

---

cum Paldamo *communem rem* intelligere *negotium publicum*, facile tamen est explicatu, quid dixerit. Quippe cum Maecenatem haberet familiarem et fautorem, scribae eo utebantur intercessore ac sequestro, eumque adibant, ubi res gravis agebatur. — Nec scriba fuit, cum scripsit epist. 1, 14. 17.:

Me constare mihi scis et discedere tristem,
Quandocunque trahunt invisa negotia Romam.

Caeterum v. quae interpretes hac de re protulerunt apud Richt. (Suet. vit.) p. 10—13. et Masson. vit. p. 74 sq.

ad dramaticam formam proxime accedit, libro secundo interposuit? Quidni omnes Sermones uno corpore evulgavit, cum nequaquam ipsi verendum esset, ne nimis accresceret opus? Eumne non festinasse editionem, cui curae cordique esse debuit, ut Maecenati, amicissimo fautori, quam maturrime gratum animum insigni aliquo et publico monumento testaretur, et ut eae potissimum eclogae, quae novae poesis defensionem continerent, omnium manibus tererentur? Eumne per decennium et quod excurrit fando tantum et audiendo vulgo innotescere scripta sua passum fuisse, neque exemplaribus fide descriptis mutilationes lividi Pantilliorum gregis et depravationes sedulo cavisse? Eumne legem quam postea scripsit: „*nonumque prematur in annum*" adeo in Sermonum editione migrasse, ut, si vulgarem sequaris rationem, ab anno u. c. 713. usque ad 726., si non in scriniis membranas presserit, certe communem earum lectionem prohibuerit? Mirum profecto ni haec et similia talia esse sentias, quae non solum utrumque librum conjunctim publici juris factum esse vehementer dissuadeant, sed contrariam etiam rationem et festinatam omnino editionem comprobent. Nec quicquam agunt, qui ut suum tibi obtrudant ad notissimum illum locum provocant, qui est in Sat. 1, 4. 71.:

Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli,

scilicet de industria reticentes quae statim sequntur (vs. 73. et 74.):

Nec recitem cuiquam nisi amicis, idque coactus,
Non ubivis coramve quibuslibet. —

unde abunde patet maturo admodum tempore haec scripta esse, quo nondum ipsum juvit „*Immemorata ferentem Ingenuis oculisque legi manibusque teneri*", ut ait epist. 1, 19. 33., quoque poemata nondum descriptis exemplaribus, sed rumore tantum et ore hominum propagata apud vulgus innotuerant. Atque cum ob haec et alia indicia satira illa anno 716. assignanda sit: nemo facile negaverit Horatium post triennium fere de poematum editione longe potuisse aliter sentire. Et quanto secius judicat Sat. 2, 1. 45.:

— — *At ille,*
Qui me commorit — melius non tangere clamo —
Flebit et insignis tota cantabitur urbe!

Proinde erit profecto quod rationibus quas protulimus fidem habeas. Sequitur tertia, qua non probabile solum fit, singulatim et diverso tempore Sermonum libros prodiisse, sed etiam cogimur, id ut statuamus.

3. Ea inde petenda, quod priori libro prologus et epilogus additus est, alteri prologus tantum, neque vero epilogus. Nam si utrumque librum simul et eodem temporis momento edidissit Horatius, haud dubie aut suum cuique, aut si uni tantum, non primo sed secundo addidisset epilogum, quo totum opus rite clauderetur. Ita ipse in trium librorum editione carminum prologum (1, 1.) ab initio posuit, epilogum (3, 30.) in fine totius operis. Sed deest et primo clausula et secundo prooemium. Contra et hic epilogum habet (2, 20.) et tertius speciem certe prologi (od. 3, 1. Odi profanum caet.). Haec igitur prout placuit poetae. Eodem modo primum epistolarum librum, quem seorsum prodiisse nemo unquam negavit, justo prooemio et epilogo instruxit.

Verum cum ii, qui secus censent, vel negaverint decimam libri I. satiram epilogi, et primam I. et II. prooemii locum tenere (cf. Kirchner. edit. Serm. p. 157. quaest. p. 11. et 12. §. 24.), vel fortuito factum dixerint, quod in altero desideretur epilogus: opus est cum omnino de prologorum et epilogorum fine et indole disserere, tum de Horatianis, eo magis, quo clarius ex argumento et natura Sat. I, 10. et II, 1. diverso libros tempore pervulgatos esse apparebit.

Triplex fere prooemiorum finis est, quandoquidem iis aut dedicatur opus, cui praefixa sunt [15]), aut argumentum et tractationis ratio paucis significatur [16]), aut defenditur

---

15) Catull. I. Phaedr. fab. 3, prol. 4, prol. Propert. 2, 1. Ovid. Fast. 1, v. 3 sq. Horat. od. 1, 1. Sat. 1, 1. epist. 1, 1.

16) Plane ut in fabularum prologis. Virg. Georg., Phaedr. fab., Ovid. Fast. lib. I. II. III. caet. Horat. Sat. 2, 1. od. 4, 1. epist. 1, 1.

consilium scriptoris et tractata materia [17]). Item epilogus triplex esse potest. Aut enim defensionem libelli continet [18]), aut brevem vitae adumbrationem [19]), aut merae clausulae et perorationi inservit [20]). Sed variae hae prooemiorum et epilogorum species tantum abest ut certam aliquam usuque sancitam formam habeant, ut nulla plane lege adstrictae diversissimam quamque induant et pro arbitratu et consilio poetae conformentur. Quod bene jam vetus *Schol. Porphyr.* annotavit ad epist. 1, 20. his: „Mirum est hanc locutionem inter epistolas poni, cum neque ad absentem neque ad praesentem hominem scripta sit, nisi quia receptum est et *principia* et *fines* in omnibus libris *nullius legis formula contineri.* Unde sic Lucret. incipit primum Epicureae sectae librum, sic Virgilius quartum Georgicorum." Proinde non ea tantum poemata vel prooemia vel epilogi habenda sunt, quae tota compositione hunc ipsum finem aperte prae se ferunt, ut Hor. od. 1, 1. 3, 30. epist. 1, 20., sed ea etiam, in quibus idem poetae consilium tectius veluti involucro obscuratum latet. Cujus generis prorsus insignia sunt exempla apud ipsum Horatium od. 4, 1. et 4, 15. sat. 2, 1. et epist. 1, 1. Qualecunque igitur in ejusmodi poematis argumentum tractatur, modo ne plane a fine abhorreat, aptum judicandum erit, quo poeta aut justum libro prooemium praefixerit aut exitum subnexuerit. Quod statim cadit in satiram I. primam. In qua etiamsi non diserte poeta, quod inesse vellet: „Tibi, Maecenas, hunc libellum dedicatum consecratumque volo" significaverit: tamen et materies et tractatio ejusmodi est, ejus ut consilium clare appareat. Argumentum tale est, ut nullum potuerit prooemio aptius eligi. Tuetur poeta poesin suam. Cujus cum indoles in eo sita sit, ut perversa

---

17) Propert. 2, 1. Hor. Sat. 2, 1.

18) Propert. 2, 25. Ovid. Amor. 1, 15. Hor. Sat. 1, 10.

19) Propert. 1, 22. Virg. Georg. 4, 563. Ovid. Amor. 3, 15. Horat. epist. 1, 20.

20) Ovid. ars am. 1, 771. 2, 733 sq. 3, 809 sq. Metam. 15, 871. Fast. 1, 723 sq. Virgil. in Georg., Horat. epist. 1, 20. od. 2, 20.

hominum studia nunc mitius nunc acerbius notentur, probat Maecenati, esse sane quod quis ea rideat, siquidem his vera vitae felicitas prohibeatur. Simul ostendit eam sublatis tantum quibus arceatur caussis et communi perversitatis fonte veluti obstructo revocari et adaugeri posse. Atqui, si qua alia, satirica id poesi efficitur. Nec dubito quin Flaccus, praeterquam quod educatione, studiis et fortuna ad castigandos hominum mores incitatus est, etiam prodesse voluerit, sive, ut ipsius utar verbis,

Simul et jucunda et idonea dicere vitae.

Ergo et caussa et utilitas satiricae poesis in argumento latet. Compositio autem et natura hujus satirae a caeterarum aliquatenus distat. Habet enim epistolae formam. Tum poeta non ut in caeteris certos homines de industria perfricat sale eorumque vitia carpit — obiter enim et veluti in transcursu sugillat Fabium v. 14., Ummidium v. 95., Maenium, Nomentanum v. 101., Tanain socerumque Viselli v. 105., et Crispinum v. 120. — sed — *amoto ludo seria quaerens* (v. 27.) — tanquam philosophus generalem aliquam quaestionem sibi tractandam sumit hanc, ut felicitatis humanae defectum explicaturus in communem vitiorum caussam et fontem inquirat. Quis est igitur, qui huic satirae primam sedem fortuito a poeta assignatam esse dicat? Mirum profecto, si ei sortem „Non ratio dederit sed fors objecerit illam.“ Mirum profecto, si Horatius non de industria, sed inscius talem libro exeunti praefixerit satiram, quae et forma et argumento prologum sapit. Mirum, si noluerit omnino prooemium addere, quod tamen usitatissimum et fere sollemne fuit.

Praeterea in omnibus Horatii poematis, quae prooemia haberi vel possunt vel debent, permirum sane et singulare hoc est, quod una potissimum eademque idea a diversis hominum studiis repetita usque recurrit. Quod quemadmodum inde accidisse consentaneum est, quod consimile in singulis vel potius idem poetae consilium et argumentum erat: ita ea poemata in quibus ista sententia emicat — modo sede sua prooemia haberi queant — recte judicabuntur a poeta in eum finem composita esse, ut prooemia

essent. Vide mihi, quam mire omnia concinant. Quam in limine 1. carminum fusius tractat sententiam, alios aliis teneri studiis, se delectari poesi, eam eadem plane cogitationum serie sed brevius persequitur in Sat. 2, 1. v. 24—29.:

Quid faciam? saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.
Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia. Me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris utròque[21]).

In eandem delabitur epist. 1, 1. 77 sq.:

Pars hominum gestit conducere publica: sunt, qui
Crustis et pomis viduas venentur avaras,
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant.
Multis occulto crescit res foenore. Verum
Esto, aliis alios rebus studiisque teneri,
Iidem eadem possunt horam durare probantes?

et in epistola Augusto dicata, quae primam alterius libri sedem tenet v. 114 sq.:

Navem agere ignarus navis timet; abrotonum aegro
Non audet, nisi qui didicit, dare: quod medicorum est,
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri:
Scribimus indocti doctique poemata passim.

Quid vero? quod prima libri I. satira tota in illa? I nunc et caeco id casu factum pronuntia, nempe ut ipse videaris caecutire. An fortuito Propertius quoque in ipso prologo libri II. v. 43 sq. eandem sententiam expressit:

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.
Nos contra angusto versamus proelia lecto,
Qua pote quisque in ea conterat arte diem.

Profecto talia indicia non plane spernenda sunt. Produnt

21) Hic ipse locus nescio an omnium optime tueatur addubitatum illud „*Me* doctarum hederae caet."

consilium poetae, qui cognato argumento ad cognatum sententiarum decursum vel inscius deductus est. Quapropter etiam ita primam libri I. satiram prologum esse evincitur.

Apertius poetae consilium est in satira libri II. prima. Pertinet ad tertiam quam posui prooemiorum speciem, in quibus scriptoris consilium et tractata materia defenditur[22]). Primum igitur suam ad scribendum propensionem interno aliquo stimulo oriri dicit (v. 5. nequeo dormire.). Suo quemque delectari studio, se poesi (v. 26.). Proinde scripturum se esse, quaecunque vitae futura sit conditio (v. 57 sq. v. 60. Quisquis erit vitae, scribam, color.). His nil aliud voluit, quam ut, qua de caussa rursus satiras componeret, lectoribus exponeret, et e necessitate, qua ad poesin satiricam compelleretur (v. 52. unde nisi intus monstratum.), scribendi excusationem peteret. Inde est quod v. 4 sq. ita sermocinatur:

— — Trebati,
Quid faciam, praescribe. „Quiescas." Ne faciam, inquis,
Omnino versus? „Ajo." Peream male, si non
Optimum erat, verum nequeo dormire.

Inde est quod laudibus Caesaris canendis se imparem esse confitetur v. 10 sq. Inde est quod Lucilii exemplo instauratam poesis speciem defendit. Tum ita eam tuetur, ut non solum ea, quae ad id usque tempus ab eo scripta essent, omnium, etiam vulgi manibus trita et ab omnibus dijudicata fuisse appareat, sed haec etiam satira non doctae fautorum amicorumque coronae, sed communi omnium hominum lectioni destinata et scripta videri debeat. Non ultro se ait neque malignitate instigatum perversa hominum studia carpere (v. 40.), sed ut ineptas obtrectatorum (v. 42. infestis latronibus) cavillationes eis quae sibi dederit natura armis *rejiciat* et *propulset*. „*Ille*," inquit v. 45.,

---

22) Bene *Hempel* in interpret. fam. Hor. Sat. 2, 1. (Bromberg. 1833.) p. 1.: „Haec satira non loco magis quam re et argumento secundi libri aditum patefacit. Nam per speciem se defendendi, cur pergat scribere satiras, ipsarum scribendarum jus poeta sibi vindicat."

„Qui me commorit — melius non tangere clamo —
Flebit, et insignis tota cantabitur urbe.“

Etiamsi igitur aliis satira nimis acris et mordax (v. 1.), aliis sine vi et gravitate videatur esse, etiamsi jus et judicium minitentur alii (v. 2. 81.), alii exsilium vel favoris jacturam procerum virorum vaticinentur (v. 59—61.): tamen ea omnia se parum curare, quippe qui Caesaris patrocinio et plausu fruatur et dignos tantum opprobriis carpat *„integer ipse“* (v. 83—85.).

Quae cum omnia ita scripta sint, ut poetae consilium ea in cunctorum adspectum lucemque proferendi non possit non apparere: quis tandem dubitet satiram absoluto libro prooemii loco additam esse, ut tum caussa novi operis et poetae consilium explicarentur, tum iniqui rumores, qui libro I. edito increbruerant, rejicerentur?

Restat ut libri I. satiram 10. epilogum esse paucis significem. Merito Weichert. de Var. et Cass. p. 49. eam dixit apologiam studiorum poeticorum, in quae Horatius ad illud usque tempus incubuerit. Orditur a defensione judicii de Lucilio in Sat. 4. facti, quod permulti inique tulerant. Istis igitur Lucilii admiratoribus et novae poesis osoribus illudens, quam vere judicaverit, in majore eclogae parte probat. Tum a v. 72. ita inflectit sermonem, ut, dum accurate eleganterque scribendo summam scriptori laudem quaerendam esse ostendit — non turbae sed paucorum eruditorumque lectorum — viam sibi sternat ad totius satirae summam. Insulsas vulgi vellicationes ait a se ne flocci quidem habitum iri. Fautorum potius doctorumque amicorum plausum se quaerere. Quem si consecutus fuerit, cumulate sibi satisfactum esse. Proinde, ubi splendidam fautorum coronam a v. 81 sq. qua par erat observantia compellavit, pergit a v. 98.:

— quibus haec, sunt qualiacunque,
Arridere velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
Discipulorum inter jubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus haec subscribe libello.

Quorsum, amabo te, haec spectant? Cur patronos et ami-

eos in scenam quasi produxit? Cur his ut placeant scripta cupit, qui tamen, si qui alii, ea norant? Viden? Ita tibi rem confidenter informa. Quae poemata eruditis illis Horatii amicis recitationibus tantum vel uno alterove descripto exemplari obiter innotuerant, ea nondum ab omni parte dijudicari aestimarique poterant. Iam cum Horatius syllogen editurus et ita singula quaeque communi omnium judicio subjecturus esset, recte id sibi curae cordique esse potuit significare, ut ab omnibus ea etiam accuratiore lectione instituta probarentur. Fortasse quasdam satiras ne amicis quidem praelegerat. Sed vides jam illa verba „*doliturus si placeant spe*“ prorsus non posse intelligi, nisi Horatium haec omnia scripsisse statuas tum cum totius libelli editionem pararet. Vides hanc ipsam satiram esse epilogum. Et profecto epilogi naturae pia ista vota conveniunt, quibus nobile par fratrum, Demetrium et Tigellium, nasutulorum obtrectatorum veluti signiferos, prosequitur. Quid quod ea in ultimo versu puerum jubet *libello suo* subscribere? Hiscine diffides? At libellus, inquit, intelligendus hic Sermo, ut Sat. 1, 4. 71. Sunt apinae tricaeque. Tanquam vel ipse Horatius prohibere potuerit, quominus ea quae semel in fine totius voluminis posita erant de toto intelligerentur! Quin omne loci acumen infringitur et perit, si hunc tantum sermonem ab Horatio intellectum esse putes. Quam debilis sententia: I puer atque *meo sermoni* haec subscribe! Contra qui sales et quanta festivitas, si perhumanam istam salutem, quam modulatorum gregi dicit, in exitu libri confecti et Vertumnum Janumque spectantis cogitaveris, scilicet quo honorificentius illos missos faciat!

§. 2.

Liber Sermonum posterior anno u. c. 724. editus.

Sequitur ut de tempore quaeramus, quo alter Sermonum liber publici juris factus fuerit. Id etiamsi non ita constitui possit, ut nulla dubitatio remaneat, ob indiciorum vel defectum vel incertam naturam: tamen hujus me quaestionis non poenitebit, si quam maxime probabilia expiscatus esse visus fuerim, et tum eos falsos esse evicerim, qui

librum ante pugnam Actiacam prodiisse arbitrati sunt [23]), tum eos, qui ejus confectionem et editionem ad ann. usque 726. [24]) vel 727. [25]) protulerunt. Quodsi pauculis quae per librum sparsae sunt temporum notis institeris, indeque singulorum Sermonum natales quaesiveris, nullam ita comparatam intelliges, ut certam figere queas aetatis seriem. Quare ut aliquid certe extricemus probabiliter, circumspiciendum erit, quid in his rebus dubiis dubium sit minime. Omnium igitur certissimum judico, satiram VI. post pugnam Actiacam et quidem labente anno u. c. 723. edolatam esse; id quod post Massonum vit. Hor. p. 150—154. dilucide probavit Kirchner. in quaest. p. 19. §. 37. et 38. Cujus computationis qui singula argumenta examinare voluerit, is eam non poterit non verissimam habere. Deinde satira prima vix dubitari potest quin anno u. c. 724. scripta sit. Atqui haec omnium haud dubie novissima est. Ergo consequens est, ut totius libri confectio et editio in ann. 724. inciderit. Non autem de posteriore anno cogitari posse inde intelligitur, quod Horatius, quamquam aliquoties honorificam Octaviani rerumque ab eo gestarum mentionem fecit (Sat. 2, 1. 10 sq. 84. 5, 62 sq. 6, 53.), nusquam tamen nec Iani anno 725. clausi, nec splendidissimi triumphi, quem aestate ejusdem anni Octavianus egit, nec aliarum rerum meminit, quae justa celebratione dignae erant. Talia vix reticuisset, si anno u. c. 725. vel postea poemata scripsisset totumque librum edidisset. Sed nolim discernere, num sylloge anno 724. revera publici juris facta sit. Certe confecta fuit, nec alii facile cancelli inter quos prodierit constitui poterunt, quam pugna Actiaca et triumphus aestate anni 725. actus.

---

23) Bentl. (720 — 22.), Wieland., Heindorf. et nuperrime Zumpt. in annal. crit. Berol. ann. 1833. p. 660.

24) Passov. vit. not. 146., Kirchner. quaest. p. 19.

25) Weich. p. lat. rel. p. 298. not. 22. de Var. et Cass. p. 238., Obbarius in Seebod. Jahn. Klotz. annal. 1836. vol. 16. fasc. 1. p. 48. et vol. 15. p. 64.

Cap. III.

De tempore quo epodon liber scriptus et editus fuerit.

Ad *jambicam* poesin Horatius pariter atque ad satiricam tum nativa indole et singulari conformatione tum adversa fortuna qua conflictabatur vitaeque miseria tractus et veluti stimulo instigatus est. Neque id mirum. Nam cum propria jambicae poesis indoles in maledicendo sita sit et in amara singulorum maxime hominum sugillatione [1]), eam vel per se consentaneum est iis potissimum convenire, qui aut natura ad dicacem et morosam cavillationem proclives sunt aut fatali vitae calamitate indeque enata animi aegritudine ad amarulenta linguae convicia exasperantur. Idque certo compertum habemus de *„repertore pugnacis jambi"* (ut audit apud Ovid. in Ibid. v. 523.), *Archilocho*, qui per totam vitam adeo pressus fuit iniqua sorte [2]), ut inde potissimum neque vero ex nativa animi amaritudine solum ejus *δάκος ἀδινὸν κακαγοριᾶν* [3]) ortum videatur. Idem ca-

1) Horat. od. 1, 16. 2. (criminosi jambi). Quint. inst. or. 9, 4. §. 141. (Aspera vero et maledica, ut dixi, etiam in carmine, jambis grassantur). Aristot. poet. cap. 4. *Διὸ καὶ ἰαμβεῖον καλεῖται νῦν, ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ἴαμβιζον ἀλλήλους*). Diomed. III. p. 482. Putsch. (jambicum est carmen maledicum — appellatum est *παρὰ τὸ ἰαμβίζειν* quod est maledicere, cujus carminis praecipui scriptores apud Graecos Archilochus et Hipponax.).

2) Cf. Archil. rel. ed. Liebel. p. 13. §. 5.

3) Pindar. Pyth. 2, 53.

dit in *Simonidem* Amorginum et *Hipponactem* Ephesium. Jam vero ad horum exemplum, inprimis Archilochi, Horatius suos composuit jambos, ita tamen, ut nec verbis inhaereret nec ipsa eorum carmina converteret, sed numerorum tantum compositionem et poesis indolem imitaretur [4]). Ergo apparet eum et ingenii quandam cognationem cum illis habuisse, et consimili vitae conditione et pari animi affectione ductum acuto ungui adversarios secuisse. Etiamsi igitur nil aliunde de aetate qua jambicae poesi operam dabat constaret, necessario tamen in eam vitae partem incideremus, in qua libertatis opumque jactura in summam inopiam detrusus et ipsius paene vitae pertaesus erat. Proinde ubi ex bello Philippensi Romam rediit, eum ad hanc poesin sese applicasse judico, qua „*Fastidiosa tristis aegrimonia*" (epod. 17, 73) „*levaret diris pectora sollicitudinibus*" (epod. 13, 9). Idque ipse confirmat od. 1, 16. 22.:

— — me quoque pectoris
Temptavit in dulci juventa
Fervor et in celeres iambos
Misit furentem.

---

4) Perspicuum hujus rei testimonium, obscuratum tamen interpretum quorundam nugis, est apud ipsum poetam in epist. 1, 19. 23. sq. Respuens vilium imitatorum servum pecus, „*Libera*" inquit,

Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede; qui sibi fidit,
Dux regit examen. Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.

In his „*animorum*" voce non tam argumenti acerbitas (Bentl.) quam indoles et color carminum omnino denotantur. „*Res et agentia v. Lyc.*" intellige cum argumenta quae Archilochus tractavit, tum ea in quibus Lycamben proscidit. Imitatorem igitur se dixit, non interpretem, quod haud dubie malevoli homines ipsi exprobraverant. Ac ne quis id quoque sibi opprobrio daturus sit, quod modos et carminis compositionem immutata retinuerit, egregios poetas Sapphonem et Alcaeum pari modo Archilocheos numeros mutuatos esse scribit, sprevisse tamen ejusdem argumenta. Proinde nec se hujus moris poenitere, nec verendum sibi esse, ne non libera per vacuum posuisse vestigia princeps videatur. Cf. Bentl. ad h. l. et Schmid., Klotz. lect. Venus. pag. 46., Passov. vit. not. 187.

maturam aetatem innuens, eandem fere quam in od. 3, 14. fin. denotat:

Non ego hoc ferrem calidus juventa
Consule Planco (ann. u. c. 712.).

Et suo jure primam omnium epodorum eclogam sextam decimam „*Altera jam teritur*" (vulgo ad bellum Actiacum praeeunte Massono vit. p. 138. relatam) habuit, annoque u. c. 713. adscripsit Kirchner. in quaest. §. 41. p. 21. Uno igitur et eodem tempore Horatius jambicae et satiricae poesi operam dedit. Quid quaeris? Cum utraque ex communi fonte profluxerit, quid magis consentaneum, quam ut poetam uno eodemque tempore credas et „*tincta Lycambeo sanguine tela deposuisse*" et *abstinuisse* a „*Bioneis sermonibus et sale nigro,*" nimirum postquam defluxit ille fons et Flaccus „*mitibus mutare quaesivit tristia*" (od. 1, 16. 25). Nec falleris. Sermones anno u. c. 724. confectos fuisse vidimus. Epodon nullum est carmen, quod post annum 723. scriptum esse certo efficias. Novissimum VV. DD. habent carm. IX. „*Quando repostum* [5])." Vereor ut prorsus recte. Quae extremam sedem tenet ecloga „*Jam jam efficaci,*" eam postremo exaratam conjicio, tum cum Horatius syllogen publici juris facturus esset. De qua re dicam postea. Nunc vero de editione. Horatium per satis longum temporis spatium jambos in scriniis pressisse, certe sylloges editionem non properasse intelligitur ex epod. 14., in quo Maecenati identidem roganti, cur promissos jambos nondum ad finem perduxerit, ita respondet v. 6.:

Deus, deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.

His verbis epodon corpus, quod edi cuperet Maecenas, significatum esse, post Bentlejum recentiores fere omnes

---

5) Cf. Kirchn. quaest. p. 21 et 29. Passov. vit. not. 183. Weich. de Var. et Cass. p. 210. Grotef. p. 466. Obbarius in Seeb. Jahn. Klotz. annal. ann. 1835. vol. 15. fasc. I. p. 65. et in diurn. Darmstad. ann. 1834. p. 918.

summo jure statuerunt [6]). Nam sicut poeta ubivis *iambos* vocat, quae *epodon* nomine insignita habemus carmina [7]), ita hic et possunt cunctae epodon libri eclogae intelligi, et vero etiam debent, quod ad umbilicum adducendae dicuntur [8]). Sed etiamsi Horatius jambos in librum redigere diu fuerit dedignatus, ab ipso tamen eos editos, nec

---

6) Cf. Mitscherl. Vanderb. II. p. 561. Passov. vit. not. 185. Kirchn. quaest. p. 28. §. 52. Orelli ad h. l. Becker. Gallus. (Lps. 1838.) vol. I. p. 170. — Secus censet Masson. in histoire crit. de la rép. d. l. Tom. V. p. 165. et 166.

7) Apertissime in his: Parios ego primus iambos ostendi Latio; tum od. 1, 16. 3. criminosi iambi. 24. celeres iambi.; epist. ad Pison. 79. iambo rabies Archilochum armavit. — epist. 2, 2. 59. hic delectatur iambis. cf. Grotef. p. 460. a. et de carminis significatione et usu Weich. p. rel. p. 40.

8) *Epodon* nomen haud dubie a grammaticis et metricis libro inditum est. Nec Horatio cognitum erat, nec vetustioribus scriptoribus, nec ipsi Archilocho adhibitum. Is ubivis dicitur a veteribus scriptoribus *jamborum* inventor, nusquam epodorum (cf. Herod. 1, 12. v. Arch. fragm. ed. Liebel §. 1. et §. 19.). Posteriore demum aetate singularis illa jamborum conformatio, ex qua longiori versui subdebatur vel succinebatur brevior, inprimis jambico trimetro dimeter, epodorum nomine insignita est. cf. Terentian. Maur. v. 2452 sq. p. 2437.:

> tales trimetris subdidit Flaccus suis,
> ut carmina ostendunt decem.
> *Ibis Liburnis inter alta navium,*
> *amice, propugnacula.*
> Archilochus isto saevit iratus metro
> contra Lycambam et filias.

Hephaest. p. 22. 70. Diomed. III. 482. Zenob. V. 68. Mar. Victorin. II. p. 2552. Archil. ed. Lieb. §. 19. p. 45 et p. 162. Itaque singulorum carminum quae epodi dicuntur denominatio (Quint. inst. or. 10, 1. §. 96.) fluxit ex singulari eorum compositione. v. Hermanni elem. doctr. metr. p. 670. et Boeckh. de metr. Pind. lib. I. cap. XIV. p. 86 sq.; indidem totius libri, ut jam Schol. *Porphyr.* ad ep. 1. annotavit: „hic liber epodos inscribitur, scilicet quod ita versus in eo ordinati sunt, ut singulis quibusque clausulae suae succinantur. Clausulas autem Lyrici appellant quasi praecisos versus integris subjectos.“ itemque *Schol. Cruq.*: „Liber ἐπῳδῶν dicitur quasi versiculorum, quia per totum hunc librum majoribus versibus seu longioribus postponuntur minores seu breviores.“ Nec obstat quod ultimum carmen meris jambis compositum est, cum in reliquis vere sint epodi. Perperam post alios Vanderb. II. p. 557. et 563. nomen inde duxit, quod totus liber post odas vel positus vel in lucem editus sit. Idem suadet permira dicamne an insulsa glossa codicis Vanderb. V.: „Finitis quatuor Libris carminum Horatius a Maecenate rogatus, ut si adhuc ali-

post mortem demum a grammatico aliquo collectos esse — ut quidam rati sunt, etiam Vanderb. p. 556. — diserte testantur haec verba:

Parios ego primus iambos
Ostendi Latio.,

neque minus, quae leguntur in epist. 2, 2. 59.:

Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis.

cf. Passov. not. 183. Kirchn. quaest. §. 55. Idque factum esse ante quam tres carminum libri prodirent valde probabile est. Nam cum plura sint in primo odarum libro carmina, quae epodorum numeris constant [9]), non videtur dubitari posse quin epodon sylloge prius absoluta et edita fuerit, quam ista vel scriberentur vel cum caeteris evulgarentur. Nulla enim poterit caussa excogitari, qua commotus Horatius istos epodos carminum corpori quam epodon fasciculo inserere maluerit. Atqui carminum libri anno u. c. 730. emissi sunt, id quod infra probabo. Ergo epodon editio necesse est ante ann. 730. facta sit. Falluntur tamen, qui libidine eam nescio quot annos ultra ann. u. c. 723. proferunt, nimis solliciti de odiis, in quae Horatium festinata contumeliosi libelli editione incurrisse verisimile sit, et quod nonnulla carmina liberioris spiritus (epod. 7. et 16.) ipsi Augusto et Maecenati displicere debuerint. Ita Weichertus, etsi nullum ἐπῳδῶν carmen esse, quod post annum u. c. 723. scriptum sit, certum atque in-

---

quid aliud genus metri apud Graecos inveniret, id transferret in Latinum, hos duos scripsit Libros, eosque Epodon intitulavit, quasi additio super Odas. Epodon enim compositum est ex epi graeca praepositione quae est super et oda. Quaedam Horatius metra hic addit nova, quae in superioribus libris non inveniuntur, utpote purum jambicum; quaedam tamen de superioribus adjunxit, et ita in parte a metris superadditis Liber iste nomen accepit" caet. Mitto Torrentii opinationem totum librum ἐπῳδὸν i. e. magicum inscriptum esse statuentis ob ep. 5.

9) Cf. 1, 4. „*Solvitur acris hiems*" (Archil. rel. ed. Lieb. LXI. *τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλυσθεὶς Πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευε* caet. Terent. Maur. v. 2950.), od. 1, 7. „*Laudabunt alii*" (Terent. Maur. v. 2099.) od. 1, 28. „*Te maris et terrae*" (cf. epod. 12.).

dubitatum pronuntiavit de Var. et Cass. p. 210., editam tamen esse syllogen ann. 729. statuit in poet. rel. p. 454. not. 42., non addito argumento. Passovius in vit. not. 183. libelli editionem ad ann. u. c. 727. distulit, et Kirchner. in quaest. p. 38. §. 66. extremam libri I. epistolam incredibili conjectura epodon epilogum esse ratus ad annum usque 733. At enim non ita probris et contumeliis totus liber refertus est — epod. 1. 3. 11. 13. 14. 15. vix quemquam offendisse crediderim — nec tam angusti ac pusilli animi fuit Octavianus, qui carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum sapienter tolerabat [10]), ut et Horatius eum anxie celare debuerit et princeps celatum cupiverit multas ipsius laudes continentem. Mihi quidem editio non ultra annum u. c. 725. proferenda esse videtur. Primum enim epodi, qui in I. carminum libro leguntur, haud dubie ea circiter aetate compositi sunt. Deinde, si recte epod. 17. naturam perspicio, is eo tempore a manu poetae exiit, quo a contumeliosis versibus scribendis abstinuit et emollito quasi pectore molliores in lyricis sensus spirare coepit, tamen ut nondum eum viri e: acerbitatis plane poeniteret. Vide enim; in tota hac ecloga, quae opprobria in misellam Canidiam ferventer fuderat, ea recantat et deprecatur. Quod quamquam vultu veluti composito ita facit, ut egregia prorsus per totum carmen diffusa ironia sagam et magicas ejus artes salsissime irrideat: cum tamen credibile est *non solum ad ultimum isti mulieri hic illusisse, verum etiam maledicta et convicia quodammodo emollire et in jocum vertere voluisse. Prius* vel primo versu comprobatur: „*Jam jam efficaci do manus scientiae,*" in quo se *tandem aliquando* victum et potentiori mulieri cedere h. e. abstinere in posterum probris perspicue confitetur, itemque v. 59.: „*Impune ut urbem nomine impleris meo?*" Tum aperte hi jambi et epodo 5. posteriores sunt (cll. v. 48 sq. et 5, 5.) et satira libri I. octava (cll. v. 58. 76. cum sat. 1, 8. 30. et 43. v. Kirchn.

10) cf. Tac. Ann. 4, 34. Orelli ad epod. 1. p. 549.

quaest. p. 27., §. 50.), et vero etiam nisi me omnia fallunt blanditiis illis, quibus *„amata ista nautis multum et institoribus“* consalutatur in Sat. 2, 1. vs. 48. *„Canidia Albuti quibus est inimica venenum* (minitatur.)“ et in extremo Sermonum versu: *„velut illis Canidia afflasset pejor serpentibus Afris.“* Clare se provectiorem aetate esse significat v. 21.:

Fugit juventas et verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida;
Tuis capillus albus est odoribus.

Nec dubito quin jam lyrica aliquot carmina tum innotuerint ob v. 39.:

— — *sive mendaci lyra*
Voles sonari, tu pudica, tu proba
Perambulabis astra sidus aureum.

Alterum vero ut haud dubie poeta voluit: — audi modo supplices preces quas v. 19 sq. callide ad Canidiam fundit — ita aptius facere non potuit nisi cum syllogen evulgaret. Nam cum retardatae editionis ea caussa esset, ut defervescerent interim irae et odia, cumque maledicentissimae epodorum eclogae in exsecrationem Canidiae scriptae essent, etiam epod. 8. et 12., auctoribus Schol. Cruq. init. et Acron. ad v. 14. [11]): erat sane quod poeta editurus libellum harum potissimum rerum poenitentia se correptum simularet, nimirum ut caeterorum quoque probrorum offensionem elevaret, eaque ex juvenili potius petulantia vellicandique libidine quam ex innata animi procacitate et malignitate profluxisse ostenderet [12]). Ita igitur epodum 17. omnium postremo i. e. post ann. 723. exaratum et coronidis loco confecto libello additum esse omni modo probatur. Atqui eundem edito demum Sermonum libro II. i. e. aut ipso anno 724. aut brevi post scriptum esse verisimile est.

---

11) Negant Vanderb., Orelli, Kirchn. quaest. p. 25. §. 46.

12) Sat. 1, 4. 33.:

Omnes hi metuunt versus, odere poetas.
„Foenum habet in cornu, longe fuge, *dummodo risum*
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico.“

Epodon vero syllogen publicatam fuisse oportet antequam epodi libri I. carminum compositi essent i. e. ante ann. u. c. 725. Ergo non vereor ne magnopere fallar ratiocinando, si epodum 17. extrema parte anni 724. vel initio sequentis scriptum, eodemque tempore una cum caeteris publici juris factum esse dico.

Sub idem tempus Horatius palinodiam illam libro carminum primo insertam *„O matre pulchra filia pulchrior“* cecinit, qua eandem me judice Canidiam sive Gratidiam, quam saepius jambis laesit, serio quodammodo sibi reconciliaret. Qua in re plane cum Kirchnero (quaest. §. 51. p. 27.) sentio. Nam quod nuperrime Orellius in argum. carm. p. 71. scripsit, et totum argumentum fictum videri, nec jambos contumeliosos unquam scriptos fuisse consentaneum esse, non magis verum est, quam quod Vanderburg. aliique opinati sunt, hanc deprecationem ad Tyndaridem datam esse. (Ita etiam Schol. Porphyr. et glossa in cod. manuscr. 2 Vanderb.). Mihi quidem et vs. 39. epodi 17.: *„sive mendaci lyra voles sonari“* caet. et ejusdem vs. 21.: *„Fugit juventas“* caet. collati cum od. 1, 16. 22.:

— — me quoque pectoris
Temptavit in dulci juventa
Fervor et in celeres iambos
Misit furentem.“

ad eandem personam eademque aetate haec scripta esse argumento sunt perspicuo.

Cap. IV.

De temporibus quibus tres carminum libri priores scripti et editi fuerint.

Duas hactenus poesis Horatianae species perlustravimus, quae natura sua cognatae eodemque tempore et una eademque de caussa necessario ortae, tractatae, terminatae, curriculi quod poeta emensus est primum veluti gradum circumscribunt. Sequuntur lyrica Horatii studia, ad quae graecorum exemplarium lectione dudum praeparatus propero gressu tum demum perrexit, cum vitae conditione, aetate et mente immutatis pertaesus amari lusus a contumeliosorum carminum compositione se abstinuisset. Per varia vitae discrimina inde a graeca peregrinatione eluctatus, postea malevolorum hominum inimicitiis pressus et ob dubium et fluctuantem patriae statum et salutem aegrimonia confectus, paulatim quidem cum suavium amicorum, Virgilii, Varii aliorumque usu, tum praecipue Maecenatis patrocinio, quo ab ineunte anno u. c. 717. gavisus est (cf. quae disputabuntur infra ad Sat. 2, 6.), jucundiorem vitam et curis vacuam adeptus erat. Nec tamen earum quas expertus erat rerum tam cito exstincta est memoria, nec tam levi pede ad partes quarum osor fuerat transiliit, ut, donec patriae salus in suspenso fuit, vel omnino ad lyrica levioris argumenti carmina componenda proclivem se senserit, vel celebraverit etiam adversarios suos, vel vera animi studia mendaci lyra velut ejurarit et adulatione foedum ser-

vitutis crimen subierit. At sepultis bellis civilibus, sopito armorum furore, antiqua reipublicae forma quodammodo revocata, cum omnem potestatem, ut ait Tacitus, ad unum conferri pacis interesset, cum cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio redirent: etiam Horatius novae rerum conditioni ita assuevit, ut, cum in ea sola patriae salutem sitam esse probe intelligeret, oblitus malorum externa quiete animique tranquillitate recuperata tum ad vitae mollioris dulcedinem et voluptates fruendas promptus paratusque esset [1]), tum Lesbio plectro vel *juvenum curas, proelia virginum et libera vina referret*, vel *laudes egregii Caesaris* communis laetitiae interpres celebraret. Ita igitur ab eo tempore, quo reipublicae immutabatur forma, in lyricam poesin incubuisse videtur. Accedit quod anno demum u. c. 721. vel 722. Maecenatis liberalitate accepit villam [2]). Quidni enim eum in nova potissimum sede tum crebra naturae contemplatione, tum indefesso graecorum lyricorum studio, *Alcaei* [3]), *Sapphus* [4]), *Anacreontis* [5]), *Stesichori* [6]), *Pindari* [7]), *Callimachi* [8]), elegiacorum *Tyrtaei* [9]), *Mimnermi* [10]), *Simonidis* [11]) — hos enim solos commemorat — molliores lyri-

1) Cf. Wieland. introd. Sat. 2, 3. Kirchn. quaest. p. 28. §. 53.

2) Villae primum mentio facta Sat. 2, 3. 10. cf. Obbarius in Seebod. et Jahn. annal. ann. 1832. vol. I. fasc. 4. p. 583 sq. et in diurn. Darmstad. liter. 1834. p. 918. Weich. p. rel. p. 458. not. 44. et Passov. not. 200. p. XCIV.

3) Cf. od. 1, 32. 5. — 2, 13. 26. — 4, 9. 7. — epist. 1, 19. 29. et 32. — 2, 2. 99. praeterea: od. 1, 1. 34. (Lesbous barbitos), 1, 26. 11. (Lesbium plectrum), 4, 6. 35. (Lesbium servate pedem), 3, 30. 13. et 4, 3. 12. (aeolium carmen).

4) od. 2, 13. 25. epist. 1, 19. 28.

5) epod. 14, 10. od. 4, 9. 9.

6) od. 4, 9. 8.

7) od. 4, 2. 1 sq. epist. 1, 3. 10.

8) epist. 2, 2. 100.

9) epist. ad Pis. 402.

10) epist. 1, 6. 65. 2, 2. 101.

11) od. 2, 1. 38. Ceae naeniae munera. 4, 9. 7. Ceae camenae.

cae poesis spiritus et delicias imbibisse verisimile sit? Praeterea cum nullum carmen sit, quod ante pugnam Actiacam scriptum esse evidenter possit probari, non quidem praefracte negaverim unum alterumve *fortasse* priore tempore ortum esse[12]), sed cavendum puto, ne qua carmina temere et sine justa caussa a temporis communione plurimorum arceantur; atque audacter Horatium contenderim *impensiore cura* post annum demum u. c. 723. melicae poesi operam dedisse, quin absolutis pervulgatisque Sermonum et epodon libris *huic soli*.

Jam quamquam in confesso est, studiis illo tempore a poeta institutis tres priores carminum quae supersunt libros veluti fructum deberi, quibus consummatis editisque ex longo intervallo Augusti jussu addidit quartum, contestantibus Sueton. in vit. et Schol. Acr., Porphyr. et Cruq. ad od. 4, 1. (cf. Kirchn. quaest. p. 7. not. 1.): duo tamen hac in re inexplorata restant, quae et cognitu utilia et vero etiam difficilia investigatu sunt. Primum enim explorandum, *qua aetate* Horatius lyrica scribere *desierit*. Quae si aut certo aut probabiliter inventa est, patescit simul, quando trium librorum corpus in Romanorum manus pervenerit. Deinde vero diu multumque disceptatum est, utrum tres illi libri seorsum et diverso tempore divulgati sint, an uno et eodem. Quod quamquam tam exigui pretii tamque levidense disquisitionis argumentum videri potest, ut qui huic operam navat is de lana caprina rixari queat insimulari, habet tamen et ipsum quo commendetur, tum inde quod ad rem Romanorum literariam cognoscendam aliquatenus facit, tum quod ita aliquanto certius de singulorum carminum natalibus judicare licet. Neque tamen me praeterit, et vix posse hanc quaestiunculam ad liquidum perduci, et multo graviorem esse et majoris pretii priorem. Quare attingam quidem alteram, sed accuratius ut anquiram, *ad quod usque tempus Horatius lyrica scripserit*, res ipsa flagitat. Nunc cum permulti hoc in loco pertractando mirum quantum a vero aberraverint, statim ab ini-

12) Cf. Passov. vit. p. LXXV.

tio communem errorum fontem et puteum commonstrandum duco, ne et nos in eundem illapsos acer aliquis fluvius simul cum ripa abripiat.

Eorum igitur qui in Horatii explicatione versati sunt nemo nescit, lubricam admodum esse et incertam singulorum carminum definitionem temporis. Nam cum pleraeque aetatis notae aut plane dubiae et ambiguae sint, aut ita natura sua comparatae, ut factum quidem aliquod respiciatur, sed poeticae descriptionis colore et veluti fuco splendida historiae lux obscuretur: tam liberum et amplum apparet campum conjecturis hic patere, ut diversissima quaeque de uno saepe et eodem carmine a VV. DD. prolata esse eo minus mirandum sit, quo implicatior ipsa turbulenti istius temporis historia est, quoque saepius consimiles reipublicae status rediisse videmus. Qua de re quemadmodum quaerendum erat, numquid esset, quo aliquatenus saltem tanquam communi norma et regula certior et firmior redderetur fluxa indiciorum fides in singulis: ita cancelli, intra quos Horatium lyrica carmina exarasse verisimile esset, nequaquam ex aetate singulorum poematum sola petendi erant, sed ex re quadam extrinsecus data h. e. cum e caeteris poetae scriptis tum ex tota ejus vita, vivendi conditione atque sentiendi cogitandique ratione. Dispuderet sane hujus me postulati, si aut esse extricarique posse generalem aliquam normam aut multum inde profici desperandum esset. Sed bene nobiscum actum esse ex ipsa quae sequitur disputatione intellectum iri confido.

Tres priores carminum libros multo ante quartum scriptos et editos esse, non solum locupletissimis Suetonii Scholiastarumque testimoniis, sed primo etiam libri IV. carmine toto (anno fere u. c. 739. aut 740. composito), quin primo versu: „*Intermissa, Venus, diu Rursus bella moves*" certo efficitur. Neque dubitari potest quin intermedio hoc tempore et epistolarum liber I. (fortasse etiam II. et epistola ad Pisones) et carmen saeculare in lucem prodierint. Epistolarum liber I. prodiit a. u. c. 734. sed ante diem Horatii natalem (VI. Id. Decembr.), quod ita certum, ut nil supra. Atqui lyrica carmina ante epistola-

rum primum confecta et *edita* fuisse, non conjecturis sed certo poetae testimonio probatur in epist. 1, 19. 32 sq., ubi: „*Hunc ego*," inquit — *Alcaeum* respiciens (Bentl. ad h. l.), vel ut Weicherto de epist. prol. I. p. 14. et 15. placet, *Alcaeum* et *Sappho* simul —

„*Hunc ego*, non alio dictum prius ore, *Latinus*
Vulgari fidicen; juvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus *opuscula* [13]) lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?"

Ergo carminum libros manifestum est usque ad ann. 734. vel ad summum hoc ipso foras datos esse. Deinde prima statim epistola, quam nullis additis argumentis Weichert. poet. rel. p. 458. ad a. 737. retulit; mero vero commento Kirchnerus in quaest. p. 36. ad a. 739. vel 740.; ego ut par est proxime post epistolam 20. scriptam judico, perspicuo documento est Horatium tum, cum epistolis scribendis operam dabat, *pridem* (v. 3. *antiquo* ludo) ad finem perduxisse lyrica, nec ad istiusmodi levioris argumenti carmina componenda sese proclivem amplius aptumque sensisse. Equidem certe, quidquid disputant interpretes, nondum aliud in tota hac epistola *dedicatoria* — quae „*allocutio ad Maecenatem*" in cod. quodam Torrentii rectissime dicitur — sibi poetam voluisse in animum inducere potui, quam ut Maecenati post evulgatos lyricos libros identidem nova carmina lusoria flagitanti sese aetate et mente eis scribendis imparem profiteretur esse, indeque simul et caussam peteret, qua ductus abjectis nugis et tempestivo pueris concesso ludo (epist. 2, 2. 141.)

— non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae

vellet, et excusationem, quod primum horum studiorum

---

13) Intelligit lyrica carmina. Haec dixit v. 42. *nugas*, v. 44. *poetica mella*. cf. 1, 1. 10. (nunc itaque et versus et *caetera ludrica* pono). Passov. vit. not. 264. Nec alia sunt „*signata ista volumina*" vel „*carmina quae possint oculos auresque morari Caesaris*," Vinio Asellae tradita (epist. 1, 13.).

specimen fautori et amico venerabundus offerret. Hanc igitur in sententiam prorsus egregie scripsit:

Prima dicte mihi, summa dicende Camena,
Spectatum satis et *donatum jam rude* quaeris,
Maecenas, iterum *antiquo* me includere *ludo?*
Non *eadem* est *aetas, non mens.* Vejanius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro;
Ne populum extrema toties exoret arena.
Est mihi purgatam crebro qui personet aurem:
Solve *senescentem mature* sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus et ilia ducat.
Nunc itaque et *versus* et *caetera ludicra pono.*
Quid verum atque decens curo et rogo et omnis in hoc sum:
Condo et compono quae mox depromere possim.

Nec verum poetae consilium veteres fugit Scholiastas, quorum *Acron* ad v. 5.: „Comparat se, inquit, Vejanio gladiatori nobilissimo — cujus exemplo dicit aetatem suam et propositum impediri et non posse se perseverare in carminibus, sed potius velle transire ad studium philosophiae relictis jocis et lyricis versibus (similiter Schol. Cruq.).“ Deinde vero non mirationem cuiquam faciet, quod in maxima hujus epistolae parte ipsa philosophiae studia et ab utilitate et ab necessitate commendantur, siquidem nil magis curae cordique poetae novam syllogen emissuro esse potuit, quam ut Maecenati — cui praeter exspectationem non jocularia et ludicra denuo obtulit carmina sed quaestiuncularum philosophicarum coronam longe severioris argumenti — persuaderet, revera philosophiae studium dignum esse, quod ab omnibus coleretur, cultum pauperibus aeque ac locupletibus prodesse, neglectum nocere pueris, senibus. Proinde primarium poetae consilium hoc fuisse dico, ut coelestis sapientiae commendatione totum libellum Maecenati commendaret indeque tenui filo excusationem contexeret, qua quae postulasset rerum suarum tutela ea deprecaretur. — Haec si vere a me disputata sunt — et mihi quidem videntur verissima esse — sponte apparet investigandum esse, quando tandem ista aetatis et mentis

mutatio, quam ipse significat v. 4., facta sit. Ita enim intelligetur, quo tempore poetam verisimile sit lyricis valedixisse. Bonum factum! quod ne in hac quidem re destituti sumus adjumentis. —

Tota Horatii poesis lyrica recte opinor et ex ipsius sententia dici et haberi potest amatoria. Quod cum pronuntio, non quidem me praeterit artiorem paene illius notionem constitui, quam cui cuncta quae habemus poemata subjungi possint. Verum etiamsi permulta sint, quae in aliis omnibus versantur rebus, naturam tamen ac propriam indolem et perspexisse mihi videor et vero insignivisse nomine.

Nam primum vix opus est in memoriam lectorum revocare, Horatium ad aemulationem *melicae* potissimum sive *aeolicae* poesis, cujus primarii poetae *Alcaeus* fuere et *Sappho*, sese applicasse, sprevisse autem vel potius imparem se professum esse gravioribus et sublimioribus citharae modis *Pindari* et *doricae* omnino quae dicitur poesi lyricae.

Deinde vero tam perspicua ipsius Horatii testimonia habemus, ut, qualem habuerit judicatamque voluerit poesin suam lyricam, non possit ambigi. Gravissimum igitur est quod scripsit od. 3, 26. 1 sq.:

Vixi puellis nuper idoneus [14]),
Et militavi non sine gloria:
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit.

ubi Schol. *Acron* scite annotavit: „Hac ode videri vult jam *renunciare carminibus et lyram consecrare et amare desinere.*“ (Ita etiam Porph. et Schol. Cruq.). Nam consueta allegoria ad totam poesin lyricam, a qua abstinere se velle dicit, haec referenda esse abunde patet ex carmine

---

14) Vereor magnopere ne scripserit poeta:
Vixi *duellis* nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria.
Ita multo concinnior oritur sententia, eaque simillima od. 4, 1. Intermissa — *bella*.

libri IV. primo toto — cujus indolem optime perspexit Doeringius — eo magis, cum pauca tantum hoc in fasciculo carmina amatoria sint (od. 10. 11. 13.), pleraque autem in Augusti honorem (2. 4. 5. 14. 15.) scripta. Sed qualem se semper describit poetam leviorem et amoribus tantum aptum, talem hic quoque se professus pristinis se amoribus incalescere ingeniose fingit his:

Intermissa, Venus, diu
  Rursus bella moves (Acron: *iterum cogor scribere*). Parce, precor, precor!
Non sum, qualis eram bonae
  Sub regno Cinarae. Desine, dulcium
Mater saeva Cupidinum,
  Circa lustra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis. Abi,
  Quo blandae juvenum te revocant preces!

et v. 29.: Me nec femina, nec puer
  Jam, nec spes animi credula mutui
Nec certare juvat mero,
  Nec vincire novis tempora floribus.

Aliquanto clarius, quae lyrae suae *imbelli* (od. 1, 6. 10.) et *jocosae* (od. 3, 3. 69.) convenire arbitretur, effatur od. 1, 6. 17.:

Nos convivia, *nos* proelia virginum
Sectis in juvenes unguibus acrium
Cantamus vacui, sive quid urimur,
  Non praeter solitum *leves*.,

a quibus non multum abhorrent, quae cecinit od. 1, 19. 9 sq.:

In me tota ruens Venus
  Cyprum deseruit, nec patitur Scythas
Et versis animosum equis
  Parthum dicere, nec quae nihil attinent.

et od. 2, 12. 14 sq.:

Me dulcis dominae Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos, et bene mutuis
  Fidum pectus amoribus.

Omnino *„jocos, Venerem, convivia, ludum"* (epist. 2, 2. 56. cf. 214.) sibi Musam dedisse fidibus celebrare Latinis, vel ut alibi ait (epist. ad Pis. 85.) *„Et juvenum curas et libera vina referre,"* non semel ostendit dilucide. Inde est quod scripsit od. 2, 1. 37.:

Sed ne *relictis*, Musa procax, *jocis*
Ceae retractes munera Naeniae,
Mecum *Dionaeo* sub *antro*
Quaere modos leviore plectro.

et similiter od. 3, 3. 69 sq.:

Non haec *jocosae* conveniunt *lyrae:*
Quo Musa tendis? Desine pervicax
Referre sermones Deorum et
Magna modis tenuare parvis.

Inde est quod *molles* citharae suae modos vocat od. 2, 12. 3. et *„Spiritum* Grajae *tenuem* Camenae" a Parca non mendaci sibi datum dicit od. 2, 16. 38. Inde est quod *lusit* barbito (od. 1, 32. 2.), *laborum dulci lenimine* (ibid. v. 15.). Inde est quod ab ipso Phoebo Apolline se tenuem poetam tanquam a temerario ausu a sublimioris argumenti carminibus pangendis revocatum esse fingit od. 4, 15.:

Phoebus volentem proelia me loqui
Victas et urbes, increpuit, lyra,
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. —

Quid verbis opus est? Quamquam permulta sunt poemata, in quibus ad graviora et severiora argumenta assurrexit poeta, haud scio tamen an vel ex diverso pretio propria Horatianae poesis indoles cognosci aestimarique et possit et debeat. Nam ut frigida multa sunt et artificiose quaesita in iis carminibus, quae extorta magis quam libera poetae voluntate et proprio impetu orta sunt: ita una et consentiens artis aestimatorum vox est, perfectissimis, elegantissimis, venustissimis annumeranda esse carmina lusoria et amatoria. Nec mirum. Tanta eis inest tamque nativa verborum et omnis compositionis simplicitas, tanta numerorum suavitas, tamque concinnus ordo sententiarum,

ut recluso veluti pectore poetam talia spirasse, immo totum in illis fuisse sentias facillime.

Quodsi non temere *amorem* lyricae Horatii poesis nervum significasse videbor, meo jam jure utar et colligam, quae colligi recte queant. Audacter enim et quovis ego pignore contendere ausim, *Horatium amori et melicae poesi uno circiter et eodem tempore valedixisse.* Quod quidem judicium vix vereor ne quis justo cupidius a me factum esse criminetur. Nam nil profecto magis consentaneum, quam ut poeta, qua aetate anni euntes jocos, Venerem, convivia, ludum eripuerunt et qua tota ejus vivendi ratio severior facta est, eadem etiam levioris molliorisque spiritus carmina scribere fuerit dedignatus. Jam quando juvenilis ille vigor amoribus et quibuslibet vitae liberioris modis aptus deferbuerit, non dubios nos esse sinit ipse. Quadragenarius enim h. e. ipso anni u. c. 729. exitu se ab omni amore liberum et vacuum fuisse testatur Xanthiae illi Phoceo in carm. 2, 4. 21 sq.:

Brachia et vultum teretesque suras
Integer laudo; fuge suspicari,
Cujus octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum.,

ita ut anno 730., quo od. 1, 19. orta videtur (ob v. 10. 11.), recte potuerit scribere v. 1 sq.:

Mater saeva Cupidinum
Thebanaeque jubet me Semeles puer
Et lasciva Licentia
Finitis animum reddere *amoribus.*

Quid mirum? Eodem tempore canities poetae (*praecano*: epist. 1, 20. 24. Schmid. ad epist. 1, 7. 26.) obrepsit, ut patet ex carmine libri III. 14. sub finem a. 729. vel initio sequentis exarato, vers. 25 sq.:

Lenit *albescens* animos *capillus*
Litium et rixae cupidos protervae:
Non ego hoc ferrem calidus juventa
Consule Planco.,

nec minus ex eis, quae Quinctio suo aequali in carm. 2, 11.

(a. 729. ex computatione Grotefend. p. 472. a. composito) scripsit v. 5.:

— Fugit retro
Levis Juventas et Decor; *arida*
Pellente lascivos Amores
Canitie facilemque Somnum.

et v. 15. „Cur non — *canos* odorati capillos — potamus?" — Quid quod jam a. 726., cum Apollinis templum dedicabatur in Palatino, quasi instante senectute ita precatus est od. 1, 31, 17 sq.:

Frui paratis et valido mihi
Latoe dones, et, precor, integra
Cum mente; nec turpem senectam
Degere nec cithara carentem.

Quodsi igitur poeta Venusinus a. fere 730. mente et corpore immutatis non amplius indulsit amoribus, verisimile fit eodem eum tempore poesi amatoriae h. e lyricae renuntiasse et spectatum satis veluti rude donatum esse. Cui sententiae optime convenit, quod a. 734., cum epistolas edidit, nolle se ait a Maecenate *antiquo ludo* includi, et quod se nugas abjecisse et ad condenda et componenda, quae mox depromere possit, paratum et proclivem esse significat. Quin tota animi affectio et mala corporis valetudo [15], quibus post a. 730. fruebatur, documento est ad hilarem et levem lyricae poesis spiritum minime eum potuisse propensum aptumque esse.

Quocirca vel ita apparet, carminum, quae in tribus libris prioribus continentur, nullum post a. 730. scriptum esse, et quamquam nolim repugnare, si quis ista volumina anno demum 731. ad umbilicum adducta et edita esse censuerit: id tamen in clarissima mihi videtur luce positum esse, falli magnopere et pervertere rem satis apertam eos, qui confectionem et editionem ad a. 735. vel 736. proferunt [16].

---

15) epist. 1, 7. 4. et 1, 8. 6 sq.

16) Interpretes fere omnes; etiam Kirchner. quaest. §. 77. p. 40. et §. 59. pag. 31., Weichert. de Var. et Cass. p. 237. et Passov. not. 264. [At multo rectius pro perspicacitate sua Lachmannus, censor

Sunt tamen et alia, quae mihi meaeque computationi opitulantur. Nolo quidem premere, sat magnam jam temporis intercapedinem inter editionem priorum voluminum et quarti esse, quae qualisque requiratur unanimi Suetonii et Scholiastarum testimonio, ex quo Horatius *longo* [17]) (Suet.) vel *maximo* intervallo (Acron. Porph. Cruq.) quartum scribere ab Augusto compulsus esse dicitur, nec multum tribuo, quod brevius temporis spatium, quam cui ista narratio bene conveniat, eorum ex ratione oriatur, qui a. 736. carminum syllogen divulgatam esse statuunt. At id meo me jure premere et ego persuasum habeo et quivis facile concesserit, *quod nec ullum carmen post ann. u. c. 730. scriptum esse certis argumentis evinci potest, et quaedam vehementer dissuadent, ut libros posteriore tempore emissos esse putes.* Ac de illa quidem re — quamquam jam clamorem et cachinnum undique sublatum auribus percipio eorum, qui citissime ad navem illam Virgilii provocant — paucis dicam postea. Nunc irretorto vultu persequar ea, quae prohibent quominus carmina multo post a. 730. vulgata esse credantur. De quo loco multa jam perbene disputavit Vanderburgius in edit. vol. I. p. 313 sq. — Is scite opinor et acute observavit plane improbabile esse, Horatium carmen libri III. 19. syllogae interpositurum fuisse, si a. 732. eam edidisset. Nam cum in eo L. *Licinium Varronem Muraenam*, Proculeji et Terentiae fratrem (cf. od. 2, 2. 5. et Massou. vit. p. 304.), cui auream mediocritatem commendat in od. 2, 10., ob novum auguris honorem blanda observantia ita celebret, ut satis artam cum eo familiaritatem ipsi fuisse appareat: inconsiderate et inverecunde egisset, si post detectam conjurationem, quam a. 732. Muraena cum Fannio Caepione ad Augustum opprimendum inierat (Vellej. 2, 91. Suet. Aug.

Tibulli a Dissenio editi in ephemerid. literar. Halens. ann. 1836. Jun. fasc. 110. p. 259. tres odarum libros paulo post initium a. 730. et ante hiemem a. 732. editos esse dixit.

17) Sueton. oct. 26. „duodecimum (consulatum) magno i. e. septemdecim annorum intervallo — petivit!"

19. 66. Tiber. 8. Senec. de clem. 9. Dio Cass. 54, 3.), carminum libris hoc addidisset. Ita enim non solum Maecenati rem odiosam in memoriam revocasset, sed Augustum etiam offendisset, qui et hominem sibi invisum ab Horatio cultum fuisse et suas laudes juxta illius positas non posset non cum indignatione animadvertere. Quid enim? Nonne Virgilius persimili in caussa operosa sane diligentia quartum Georgicon librum, qui „a medio usque ad finem Galli laudes continebat," jubente Augusto in Aristaei fabulam commutavit (Donat. vit. Virg. cap. X. §. 39. Serv. ad ecl. 10, 1.)? Cui narrationi etsi non tantum tribuo, ut talia Augustum prorsus non tulisse credam, nequeo tamen mihi persuadere, Horatium pro ea quae inter ipsum et imperatorem intercederet ratione tam inficeto modo Muraenae jamjam defuncti, cui *οὐκ ἐπήρκεσαν — οὔτε ὁ Προκούλειος ἀδελφὸς ὤν, οὔτε ὁ Μαικήνας τῇ ἀδελφῇ αὐτοῦ συνοικῶν, καίπερ ἐς τὰ πρῶτα ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου τιμώμενοι* (Dio l. l.), et rei sat infensae intempestivam mentionem fecisse, id quod suppressione carminis devitare potuit facillimo negotio. Proinde vel hac de caussa tria carminum volumina ante a. 732. edita sint necesse est.

Sequitur alia non minus gravis. *Marcellum*, Octaviae sororis Augusti filium et conjugem Juliae, filiae Augusti, insignem magnis virtutibus, nec Augusto solum sed ipsi etiam populo Romano gratum, laudibus ornat Horatius, longam magnorum virorum seriem praetervectus, in carm. I, 12. 45 sq. his:

Crescit, occulto velut arbor aevo,
Fama Marcelli: micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Sed egregius ille juvenis immatura morte absumptus est anno u. c. 731. medio, aetatis vicesimo, ut quidam suspicabantur, Liviae insidiis (Dio 53, 33.). Communem populi et Augusti, qui eum adoptasse et sui in regno successorem destinasse dicitur (Dio 53, 30.), moerorem et luctum pingunt Dio Cass. 53, 30. Vell. 2, 93. et ipse ille Virgilius in Aen. 6, v. 861—887. Eccui vero non singulare et

mirum videatur, plane hac de re tacuisse Horatium? Cur tandem pertinaciter obmutuit, cum et laudasset sincere Augusti et Romanorum delicias et lugere posset vere et cum omnium plausu mortuum juvenem? Cur splendida vivi imagine Augusto denuo vulnus inflixit? Quidni threno aliquo fomenta aegro imperatoris animo paravit, ut Virgilio in od. 1, 24. *„Quis desiderio.“* At ne verbum quidem de mortuo Marcello in cunctis poematis lyricis, quae tunc orta sunt — haec enim sola in recensum veniunt — invenitur. Nec alia ex caussa id deducendum puto, nisi quod ante tempus Marcelli emortuale divulgata erant, i. e. ante aestatem anni 731.

Quae res ad persimilem me ducit. Perperam a plerisque omnibus carminum editionem ad a. 736. proferri inde patet, quod nusquam nec Virgilii nec Tibulli *demortuorum* mentio facta est, quorum ille a. 735., hic a. 736. diem supremum obiit. Nam pro singulari amore quo Horatius utrumque amplectebatur [18]) plane cum improbabile est ea quidem carmina, quae ad Virgilium et Tibullum *vivos* scripsit, brevi post obitum eorum syllogae suae interposuisse, tacuisse vero de nupera amicissimorum hominum morte ipsa. Quin perfidi paene et cortice levioris amici etiam nunc mereretur nomen, si recens defunctos ne una quidem vocula moeroris plena honorasset. Laetemur tamen, quod eo certius hujus eum criminationis absolvere possumus, quo diutius ante ultimam rerum lineam Virgilii et Tibulli carminum libros divulgatos esse constat.

Ac de Virgilii quidem morte Horatium tacere potuisse, mirandum esset eo magis, negandumque eo justiore de caussa, si oda libri I. tertia paulo ante iter, quod Virgilius in Graeciam suscepit et ex quo redux Brundisii a. 735. decessit, scripta esset — ut vulgo opinantur. Quis credat enim, Horatium in ipso libri exordio brevi antequam ederet tempore illud carmen collocasse, neque, quod irrita sua verba et vota quibus Virgilium prosecutus esset ceci-

---

18) cf. od. 1, 33. et epist. 1, 4. od. 1, 3. 1, 24. Sat. 1, 5. 40. 1, 10. 45 et 81.

disse intelligeret, carum demortui caput novo aliquo carmine deflevisse? Eumne tandem probabile est bona illa vota, quae animae suae dimidio apprecatus erat, tum, cum edidit libellum, mortis Virgilii jam gnarum siccis oculis et incredibili plane vecordia repetiisse? Nae hoc ita ab omni verisimilitudine abhorret, ut vel inde intelligas, quam perverse illud carmen paulo ante ultimum Mantuani vatis iter h. e. anno 734. aut initio proximi exaratum esse putetur. Praeterea alia sunt permulta, quae opinationi isti graviter adversantur. Eaque propterea opus est statim hic perlustrare, quod ob hoc ipsum odarion carminum libros ante a. 735. in publicum prodire potuisse negant. Et quamquam mea me disputatione non plus effecturum esse certo paene scio, quam sua Vanderburgium: tamen, quoniam quam certam habent interpretes vulgarem temporis descriptionem hujus carminis [19]) tam ego eandem judico pravam et falsam, exponam singula deinceps argumenta.

Ac primum quidem — ut ad Virgilium, *poetam epicum*, carmen datum esse concedam, etsi ne hoc quidem certum est — in promptu est videre, pro probato sumptum esse ab interpretibus, quod ne ex ullo quidem vestigio apparet, illud iter respici, quod Maro a. 735. in Graeciam suscepit. Quod tum magnam probabilitatis speciem haberet, si ullo unquam alio tempore eum in Graeciam vel Atticam non solum profectum esse sed etiam proficisci voluisse certo negare possemus. Quod cum ob argumentorum defectum fieri nequeat, nec per se consentaneum sit et eo refellatur, quod Virgilius Augustum contra Antonium ad Actiaca bella properantem secuturus erat, ut ait aliquis in Servian. schol. ad ecl. 3, 74.: continuo apparet vulgarem istam opinionem pro vera et certa fraudulenter venditatam esse.

Deinde vero quae de itinere a. 735. a Virgilio facto comperta habemus, ea ne conveniunt quidem bene carmi-

19) Post Masson. vit. p. 309 sq. omnes praeter Bentlejum et Vanderburgium interpretes; tum Kirchner. quaest. p. 8. §. 18. p. 9. §. 20. p. 30. §. 57. et Grotefend. p. 474. a.

nis argumento et colori. Ita enim *Donatus* in Virgil. vita cap. XIII. §. 51.: „Anno vero quinquagesimo secundo, ut ultimam manum Aeneidi imponeret, statuit *in Graeciam et Asiam* secedere, trienniōque continuo omnem operam limationi dare, ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret. Sed cum aggressus iter Athenis occurrisset Augusto ab Oriente Romam revertenti, una cum Caesare redire statuit. Ac cum Megara, vicinum Athenis oppidum, visendi gratia peteret, languorem nactus est: quem non intermissa navigatio auxit, ita ut, gravior in dies, tandem Brundisium adventarit; ubi diebus paucis obiit, decimo Kal. Octobr. C. Sentio, Q. Lucretio Coss." Jam quis est, quin permirum dicat, Horatium *nec epici illius operis mentionem fecisse, nec totum iter respexisse?* Illud quidem, si insignem qua exspectabatur Aeneis famam et existimationem ponderaveris vel ex Propertii laudibus percipiendam (2, 25. 63 sq.):

Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma,
  Jactaque Lavinis moenia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graji.
  Nescio quid majus nascitur Iliade.

illud inquam plane improbabile reddit, carmen paulo ante obitum Virgilii compositum esse. Hoc, quia non magnopere confidendum Donato, labefactat certe quod vulgo statuunt. Quae si omnia complectimur, nec miram istam digressionem, in quam a v. 9. poeta indignabundus incidit, praetermittimus — cujus singularis opinor caussa fuit quae latet —: fieri non postest quin carminis aetatem tenebris tectam esse ingenue fateamur. Si vere ad Virgilium, *poetam epicum,* datum est, potuit aliquando scribi, cum ille Athenas migrare constituisset. Nec tamen inde consequens est, ut Italiam omnino reliquerit. Utut hoc est, apparet opinor carm. 1, 3. temporum rationi quam dedi minime adversari [20]).

---

20) Diu multumque mihi consideranti carm. 1, 3. et 1, 24. „*Quis desiderio*" ea subnata est conjectura, ut inter utrumque artiorem, quam vulgo existiment, cohaerentiam esse sed mendo aliquo obscuratam credam. Quid enim, si v. 6. legas:

Superest ut paucis de ratione dicam, qua Horatium in tribus carminum libris edendis usum esse verisimile sit. Quod Bentlejus statuit singulos libros singulatim in lucem prodiisse, id falsum esse post Vanderburg. in ed. tom. I.

Navis, *quae tibi creditum*
Debes *Quintilium* finibus Atticis,

et carmen ad Virgilium quidem missum eique inscriptum esse putes, sed ad iter aliquod Quintilii Cremonensis, Virgilii et Horatii amici, relatum? Quam suspicionem ut ii non ferent, qui *„animae dimidium meae"* de Virgilio usurpatum esse ab Horatio vix sibi patiantur eripi: ita ego habeo quibus exornem et fulciam. Primum enim, quo maxime nititur, non fortuito sed hujus carminis respectu habito scriptum judico od. 1, 24. vs. 9 sq.:

Multis ille bonis flebilis occidit;
Nulli flebilior, quam tibi, Virgili.
Tu frustra pius heu! *non ita creditum*
Poscis Quintilium deos.

praesertim cum verba „non ita creditum," nisi δεικτικῶς accipiuntur et ad certum quoddam factum referuntur, vix explicari possint nec explicata hucusque sint. Deinde Quintilium, cujus obitum Horatius Virgilium consolaturus luget, clade aliqua et immatura morte periisse ex iisdem verbis sponte apparet. Nec absurdum fuerit statuere eum naufraugio, fortasse in itinere quod in Atticam susceperat, occidisse; ita quidem, ut Horatius in 3. odario Quintilium bonis votis prosecutus sit, Virgilioque carmen miserit, tum post obitum in 24. Maronem sit consolatus. Virgilii autem nomen, praeterquam quod carmini 3. praescriptum erat, eo facilius in contextum poterat irrepere, quo magis de persona Quintilii jam veteres et incerti erant et halucinati sunt. Ita Schol. Acrone auctore ad od. 24. quidam *Quintilium fratrem Virgilii* habuere. Denique Quintilius quoque, qui Virgilii et Horatii amicus dicitur in Euseb. chron., a poeta animae dimidium nuncupari potuit, nec ita foedus, quo Virgilius et Horatius juncti erant, crudeli ratione laeditur. Quin cavendum ne artius id quam fuit habeamus. Horatius favorem Virgilii natu paulo majoris et principibus viris prius commendati ambibat; inde ea, quae in ejus laudem aliquoties scripsit. Sed constanter de Horatio tacuit Virgilius. Quid quod non Horatio, sed Vario et Tuccae tantum scripta sua legavit, ut tradit Donat. vit. cap. XIV. §. 53. Proinde qui ad praedicandam Horatii et Virgilii amicitiam vix verba inveniunt, magnopere falluntur; inprimis Passovius, qui in vit. p. XL. inter alia haec scripsit: „Denn nicht allein die Seite der Kunst und Wissenschaft ist es, worin er ihr Urtheil hört, sie als Richter über sich stellt (Virg. et Varius), sondern auch ihr sittlicher Charakter, der sie zu den makellosesten Erscheinungen der Erde erhob, (!) trug dazu bei, um den Bund und gleichsam jene geistige Vermählung zu schliessen, wie uns in so reiner, aus den edelsten Motiven entstandener Anerkennung ungestört erhalten, das Alterthum kaum einen ähnlichen Verein aufweist." Id unde depromptum sit et probari possit, videat aliquis. — Si carm. 1, 3. revera de Quintilio accipiendum esset, ortum esset a. fere 729. —

p. 313 sq. optime probavit Kirchner. in quaest. p. 8. §. 17 — 23. et p. 30. §. 56 — 59. Mihi non dubium est quin tria illa volumina uno et eodem tempore conjunctim edita sint a. 730. vel 731., cum non solum primo et secundo inserta sint carmina, quae a 730. certo orta sunt (od. 1, 24. 2, 4.), sed in tertio etiam inveniantur, quae multo ante illum annum (od. 3, 6.). Etiamsi vero quis litem moveat, quod liber secundus epilogum habeat et tertius prologi speciem, ita ut hic separatim emissus esse queat videri: nescio tamen an vel ex eo, quod tertii libri epilogus sublimi sua natura toti magis corpori quam uni libello convenit et *quod eodem metro compositus est quo prologus primi*, communis librorum editio verisimilis fiat et comprobetur. Quamquam fieri potuit, ut uno vel duobus mensibus post editos priores libros foras daretur tertius. Unde dixerit quispiam Horatium ad permirum carmen libri II. 20. „*Non usitata*" scribendum impulsum esse. Nequeunt tamen haec omnia evidenter demonstrari.

Sufficit tenuisse, tres carminum libros ad a. usque u. c. 731. *certo confectos fuisse*; eosdemque *verisimile esse* sub idem tempus uno volumine in tres partes diviso in lucem prodiisse. Utcunque tamen edendi ratio fuit, non ita multo post confectionem Horatius Caesari Augusto novam syllogen misisse videtur, ut patet ex epistola 1, 13. jocose ad Vinium Asellam nuntium scripta. Qui cum *signata volumina* [21]) per clivos, flumina, lanas ad imperatorem perferre jussus sit, ex villa opinor Sabina migravit Romam, ubi tum Augustus ex Hispania redux versabatur. Ea autem aetate quoniam saepe aegrotabat, non solum in Hispania sed etiam Romae gravissimo morbo correptus paulo post, aptissimum erat quod Horatius tabellario suo inculcavit monitum v. 3.:

„Augusto reddes signata volumina, Vini,
Si *validus*, si *laetus* erit, si denique poscet."

Anno 732. medio Augustus rursus reliquit Romam. Qua

21) Libellos (v. 4.), librorum fasciculum (v. 13.), *carmina*, quae possint oculos auresque morari Caesaris (v. 17.). —

de re illo temporis tractu lyrica Venusini poetae carmina Romanorum et ipsius imperatoris manibus dudum trita fuisse recte mihi judicare videor.

Cap. V.

De tempore quo liber epistolarum prior scriptus et editus fuerit.

Quod a lyricis carminibus pangendis et quolibet lusu poetico Horatium avocavit — aetatem dico senectuti propiorem et juvenili ardore destitutam, mentemque et voluntatem immutatam — idem ad tertium eum veluti gradum poesis adduxit, ad epistolas scribendas. Quarum argumentum cum maximam partem in rebus seriis et gravibus positum sit, ita quidem, ut in prologo recte potuerit auctor dicere, se, quid verum, rectum atque decens sit, unice quaerere, et quae prompta ad usum sint procurare; cumque ipsius poetae tristior subinde et morosior animi affectio ex his poematis quasi emergat, quam qua, dum melica scripsit, usus fuerit: veri admodum simile fit eum absolutis demum lyricis libris i. e. post annum u. c. 730. ad epistolas scribendas sese accinxisse. — Et si in singularum aetatem inquisiveris, nullam invenies, quae ante eum a. certo scripta sit. Nam quod Kirchner. in quaest. p. 34. epist. 1, 2. a. 727. ortam esse statuit, potest quidem verum esse sed nequit probari argumentis. Quare rectius fortasse duodecimam: „*ut proficiscentem*“ omnium primam dixeris, a. 730. vel 731. exaratam. Sed haec omnia non magis certa sunt, quam quae de nomine et indole epistolarum instituuntur quaestiones.

Nomen enim utrum ab ipso Horatio libello inditum sit, an grammaticis debeatur, non liquet. Quamquam illud quidem probabile fit epist. 2, 2. 22 sq., ubi ad Florum scribit:

Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum: ne mea saevus
Jurgares, ad te quod *epistola* nulla veniret.,

poeticam opinor epistolam intelligens, siquidem Florus, ut v. 24. docet, etiam *carmina* promissa frustra exspectabat. Praeterea epistolae *Sermonum* nomine insignitae fuisse videntur, quippe quo non Suetonius solum in vita [1]) usus est, sed ipse etiam Horatius in epist. 2, 1. 250.:

— Nec *sermones* ego mallem
Repentes per humum quam res componere gestas [2]).

et mea quidem sententia in epist. 1, 4. 1.:

Albi nostrorum *sermonum* candide judex [3]).

Eclogarum nomen Sueton. solus in vit. §. 13. ed. Richter. p. 59. usurpavit; in codicibus non invenitur [4]).

De *indole* autem et propria epistolarum natura non possum mihi temperare quin pauca saltem disseram, tamen ut, quo fusius et accuratius hac de re alii dixere, eo ego dicam praecisius. Diu est ex quo homines docti de discri-

---

1) Verba haec sunt: „Scripta quidem ejus usque adeo probavit, mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo saeculare carmen componendum injunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique, privignorum suorum, eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere: post *Sermones* vero lectos quosdam nullam sui mentionem habitam ita sit questus caet.“ Fuerunt qui haec ad Satiras referrent, in quarum libro primo non facta esset honorifica Octaviani mentio. In his est Heindorf. p. 230. Sed epistolas intelligendas esse cum ex tota loci cohaerentia, in qua de seriore tantum aetate agitur, tum ex verbis sequentibus: „Expressitque *eclogam*, cujus initium est: Cum tot sustineas.“ colligi potest. cf. interpr. apud Richt. vit. Suet. p. 52. sq. — Caeterum in epist. 2, 1. 4. (Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.) vix recte sermonem intellexeris totam epistolam. —

2) Passov. vit. not. 154.

3) cf. Weich. de Var. et Cass. p. 238.

4) cf. Weich. p. rel. p. 20.

mine Sermonum et Epistolarum disquisiverunt [5]). Quod quemadmodum alii in alia re situm esse existimarunt: ita fuere qui ullum omnino esse praefracte negarent. Horum in numero nomen suum profitetur *Weichertus*, elegantis judicii vir et eximiae doctrinae. Is adeo non externam epistolarum formam curat, ut in prolusione de Horat. epp. anno 1826. scripta non solum fictas quasdam esse statuat (I, 7. 14. 17. 18.), sed perfectissimae etiam satirae naturam prae se ferre existimet epistolam libri I. 19. A quo ego judicio non multum me abhorrere profiteor, tamen ut hac quoque in re in intermedia via longe mihi videar tutissime procedere. Nam quamquam inter quosdam sermones et epistolas non formae solum sed etiam indolis differentiam esse concedo: primariam tamen in forma sitam esse, et diversam indolem non ex diversa utriusque poesis natura, sed ex immutatis poetae studiis et animi affectionibus vitaeque modis deducendam esse persuasissimum habeo. Ex mea igitur sententia Sermones et Epistolae ad unum idemque poesis genus pertinent, tamen ut et in forma et in indole *tres perfectionis gradus* agnoscam. Et primi quidem limites ipsa satiricae poesis rudimenta constituunt, quae in libro Sermonum I. contineri vidimus. A quo eximie distant libri II. Sermones, qui numeris, elocutione ac compositione et perfectiores sunt quam priores, et dramatica forma novo veluti artificio novam induunt et singularem indolem. Superat tamen hunc alterum gradum tertius, in quo epistolica poesis est. Haec eadem ratione a Sermonibus forma sua differt, qua drammatica sua liber Satirarum II. a priore, ita ut epistolica forma eatenus tantum pedestris hujus et depressioris Horatianae poesis naturam mutet, quatenus utriusque Sermonum voluminis indolem dialogus. In primo stadio poeta ex sua ipsius persona pleraque refert, in secundo tecta quasi auctoris persona referentis actoris partes agit, in tertio denique intermedia epistolae forma usus una et suam et aliorum personas in

---

5) cf. Kirchn. ed. Sat. p. VII. Passov. not. 178. 180. et 282.

scenam quasi producit. Proinde et ortam conformatamque epistolicam poesin ex Satirica dico et communem esse utriusque indolem. Quae quidem in eo quaerenda est, quod non Romanorum solum sed ipsius etiam Horatii tota vivendi ratio, mores, studia, conditiones veluti in tabula depinguntur et ita depinguntur, ut simul *et jucunda et idonea* dicantur vitae. Quemadmodum igitur poeta in Sermonibus ridendo et castigando perversorum hominum studiorum corrector fuerat, ita in epistolis amabili philosophia et aequalium pectora et se ipsum saluberrimis praeceptis conformare studuit. Atque hoc primarium ei fuisse consilium in conscribendis epistolis, neque forma earum indolem a Sermonum diversam fieri, plures ob caussas defendere ausim.

Etenim quamquam plurimas epistolas vere iis, ad quos scriptae sunt, redditas esse concedo, Horatius tamen tantum aberat, ut illos solos certiores facere vellet, si quid esset quod eos scire aut sua aut ipsorum interesset [6]), ut in singulis scribendis jam de editione omnium cogitaret. Id luculenter apparet inde, quod Augusti laudes quibusdam epistolis paene intrusit [7]). Quin antequam liber emissus esset epistolae singulatim in aliorum quoque hominum manus pervenisse videntur, si qua fides verbis in epist. 1, 20. 4.:

Paucis ostendi gemis, et communia laudas.,

ad quae bene provocat Masson. in hist. crit. tom. V. p. 170. not. b. Deinde primarius plurimarum finis est, aut ut philosophiae studium commendetur et placitum aliquod instilletur auribus [8]), aut ut quae inter poetam et ejus fautores, Maecenatem potissimum et Augustum intercedat ratio, ea vulgo ob oculos ponatur. Quare non premendum est, quibus scriptor epistolas dicarit, nec magnopere labo-

---

6) Verba Ciceronis in epist. ad div. 2, 4.

7) Cf. epist. libr. I. 3, 7. 5, 9. 12, 25. — 13. — 16, 27. 18, 56. 19, 43.

8) Cf. I. 2, 67. 3, 26 sq. 4, 5 sq. 6, 28. 8, 3. 10, 12 sq. 11, 22 et 25. 12, 4. 14, 4. 16, 20. 18, 96. —

randum, quae illorum fuerit indoles, scilicet ut singularis cujusque eclogae indoles et color cognoscatur. Nam nisi hominum delectus res veluti secundaria ipsi fuisset, mirandum esset, quod juvenibus et ignobilibus partim hominibus libellos dicavit, nec ad eos literas dedit, qui artiore familiaritatis vinculo cum ipso consociati erant. Itaque tantum abest, ut singularem cujusque epistolae indolem secundum indolem hominis, cui inscripta est, conformatam esse judicem — qua olim ratione summus noster Wielandius in his poematis explicandis versatus est, cui tamen minutissima quaeque rimanti vel potius comminiscenti jam diffidere coeperunt homines docti post acre Jacobsii *τοῦ πάνυ* judicium — ut Horatium pro eo quem persequeretur fine hominem delegisse sibi dicam, cujus ingenium epistolae colori jam constituto adaptatum esset et conveniret. Praeterea autem ut nunquam mihi eripi patiar, fictas esse epistolas I. 13. „*Ut proficiscentem,*" 14. „*Villice silvarum,*" et nemine dissentiente 20. „*Vertumnum Janumque,*" editioni vero dicatas et idcirco scriptas I. 1. „*Prima dicte,*" 7. „*Quinque dies,*" 9. „*Septimius Claudi,*" 17. „*Quamvis Scaeva,*" 18. „*Si bene te novi*" et 19. „*Prisco si credis:*" ita non dubito quin et epistola 19. perfectissimae satirae naturam habeat, et satira libri I. sexta „*Non quia Maecenas*" (cf. Wieland. not. 18.) epistola haberi possit, et haberetur oppido, si in epistolarum fasciculo legeretur.

In universum igitur veteri Scholiastae Porphyrioni accedo, qui ita commentatus est ab init. epist.: „Flacci epistolarum libri titulo tantum dissimiles a Sermonibus sunt; nam et metri et verborum communis assumptio, quos ultimos esse ipse testatur Maecenati, cum dicit, finire se operam velle et philosophiae malle inservire." — nisi quod „aliquanto majorem in epistolis elegantiam numerorum et concinnitatem quam in Sermonibus" (Hermann. elem. d. metr. p. 353.), perfectiorem elocutionem, severiorum argumentorum delectum, altiorem denique tractationis dignitatem eamque poetae ingenio, menti, aetati consentaneam lubenter agnosco.

Sed redeat oratio unde paululum deflexa est. Quando

Horatius epistolarum librum I. ad finem perduxerit edideritque, dispiciendum. Qua in re quamquam certissimo indicio egregie adjuti sumus, ut paucis res absolvi possit: dolendum tamen, quod permulti ipsi poetae diffisi veram temporis rationem ejusque fidem elevarunt atque sedulitate male operosa rem simplicissimam perturbarunt et confuderunt infelicissime. Epistolam 20. in libri cujusdam editione parata exaratam esse tam planum atque apertum est, ut nemo unquam addubitaverit. Nec dubitasset hercle quisquam, *ipsum epistolarum librum* intelligendum esse, si temporis notatio a fine carminis abesset haec:

Forte meum si quis te percontabitur aevum,
Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

In qua cum poeta annum aetatis quadragesimum quartum se implevisse dicat anno u. c. 733.: plurimi hoc ipso anno librum, qui intelligendus sit, publici juris factum esse perperam rati negarunt epilogum ad epistolarum syllogen referri posse, quia sint, quas sequenti demum anno scriptas esse constet. Itaque Massono in vit. Hor. p. 260. jam haesitante recentiores aut tergiversati sunt aut diversas inierunt explicandi rationes. Grotefend. p. 472. b. et p. 475. a. id tempus significari autumat quo poeta epistolarum scribendarum initium fecerit; Kirchner. in quaest. p. 36 sq. §. 64—66. epodon libro tum emisso epistolam comitem datam esse sibi nec tamen praeter Orellium cuiquam alii persuasit (vide modo vs. 17. et 18.!); Weichert. de Var. et Cass. p. 167. bono temporis indicio spreto librum anno u. c. 738. editum esse statuit. Alii denique concesserunt quidem epistolam 20. epilogum esse *ipsius epistolarum libri*, sed temporis nota negarunt vel epistolae vel totius libri aetatem definiri posse. At si simpliciter et sobrie rem spectaveris, apparet:

1. Epistolam 20. tum compositam esse, cum evulgaretur cui annexa est epistolarum sylloge.

2. Poetam nihil aliud sibi voluisse, quam ut indicaret, quo aetatis anno librum edidisset.

3. Poetam inepte et insulse egisse, si aetatem suam

significaturus, quo tempore edebat librum, eo alium aetatis annum atque ageret notasset.

4. Poetam non solum hanc epistolam anno aetatis *quadragesimo quinto* i. e. mense Decembr. ann. u. c. 733. aut anno 734. sed ante diem VI. Id. Decembr., quo quadragesimum sextum auspicabatur, scripsisse, sed totum etiam volumen pervulgasse.

Id partim jam vidit Schol. Porph., qui sano judicio usus haec scripsit ad v. 27.: „Annos quatuor et quadraginta dicit, et simul ostendit, et quo mense natus et quo anno aetatis suae hunc *perscripserit*.“ Nec aliter statuerunt Theod. Schmid. in edit. epist. tom. I. p. 451. (frustra obloquente Weicherto de Var. et Cass. p. 167.), Merkel. in quaestion. Ovidian. critic. (Halis 1835.) p. 26. not., Lange in annal. critic. Berolin. 1835. vol. 2. p. 862. not. et Lachmann. in censura Tibulli a Dissenio editi quae legitur in ephemerid. liter. Halens. ann. 1836. fasc. 110. p. 259.

Atqui nulla epistola post a. 734. scripta est. Credamus igitur, donec nova aliquis non narraverit sed certis argumentis confirmaverit, quae ipso poeta duce de epistolarum temporibus probabiliter eruimus.

Cap. VI.

De temporibus quibus liber epistolarum II., epistola ad Pisones, liber carminum IV. et carmen saeculare scripta et edita fuerint.

Pervulgato epistolarum libello Horatius *alterum* addidit, in gratiam Augusti, qui „post sermones quosdam lectos, ut ait *Sueton.* vit. §. 12., nullam sui mentionem habitam ita questus est: „Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse?“ expressitque eclogam, cujus initium est: *Cum tot sustineas* caet.“ Idem affirmat Schol. *Porph.* ad epist. 1, 20.: „Sane ex his versibus et in principio sequentis libri apparet, Horatium hoc volumen quasi novissimum totius operis habuisse; nam secundum epistolarum coactus adjecit.“ et ad epist. 2, 1. 1.: „Apparet hunc librum, ut supra diximus, hortatu Caesaris scriptum esse, cujus rei etiam Sueton. auctor est. Nam apud eum epistola invenitur Augusti increpantis Horatium, quod non ad se quoque plurima scribat.“ Scimus igitur posteriorem librum post a. 734. scriptum et editum esse. Praeterea nil certi de ejus temporibus cognitum exploratumque habemus; nam utrique epistolae certa indicia desunt. Id tantum recte dixeris, epistolam 2, 1. scriptam esse post carmen saeculare, quippe quod respicitur in vs. 130 sq. Adi qui hac de re disseruerunt Th. Schmid. in edit. epist. vol. II. p. 7. et p. 159.; Weichert. de Var. et Cass. p. 165—167; interpr.

Suet. vit. apud Richt. p. 62 sq. et Kirchner. in quaest. §. 68. 69. —

De aetate, qua *artis poeticae* liber, ut jam apud Quintil. inst. or. 8, 3. et grammaticos audit, compositus sit, nil plane constare ingenue fatendum est. Alii extremis poetae annis eum adscribunt, alii vigenti aetati. Neutra sententia confirmari potest certis rationibus. Posteriori tamen propterea magis faveo, quod Horatius jam matura aetate de compositione operis quale hoc est cogitasse videtur. Ita enim scripsit in Sat. 1, 4. 63.:

Hactenus haec: *alias* justum sit necne poema;
Nunc illud tantum quaeram caet.

Errant qui artem poeticam ad posteriorem epistolarum librum referunt. Nam ut separatim eam et diverso tempore scriptam editamque putes, cum Quinctiliani auctoritas separatim eam laudantis postulat, tum sejuncta epistolarum et artis poeticae in codd. sedes, quae jam Scholiastarum tempore obtinuit. Non enim temere collegeris ex eis, quae annotarunt ad epist. 2, 2. 215. (Tempus abire tibi est.): „*mire in fine operis* de fine disputat vitae,“ epistolas in eorum exemplaribus postremum locum habuisse. — Kirchner. in quaest. §. 71. secundum epistolarum librum una cum arte poetica separatim exhibita post obitum demum poetae divulgatum esse conjecit, id quod nec negare nec affirmare ausim.

Quartum carminum volumen Horatius Augusti jussu prioribus adjecit, ut privignórum ejus victorias Tiberii Drusique celebraret, teste *Sueton.* vit. Hor. §. 10. Eandem rem narrant Schol. *Acron* ad od. 4, 1.: „Statuerat Horatius usque ad tertium librum complere opus suum, quibus editis maximo intervallo hunc quartum scribere est compulsus ab Augusto in laudem privigni sui Drusi Neronis, qui victor de Raetis et Vindelicis fuerat reversus,“ Schol. *Porphyrion* ibid.: „Post consummatos *editosque* tres carminum libros maximo intervallo hunc librum quartum scribere compulsus esse dicitur ab Augusto, ut Neroni ejus privigno victoriam de Rhetis Vindelicis quaesitam illustraret, quaė hoc libro continetur.“ et Schol. *Cruq.* ibid.: „Statue-

rat Horatius ad tertium usque librum complere opus Carminum: verum tribus libris jam editis ex maximo intervallo hunc quartum scribere compulsus est ab Augusto, ut *refert Suetonius in vita Horatii*, in laudem privigni sui Drusi Neronis, qui victor de Rhaetis Vindelicis fuerat reversus." — itemque Schol. *Acron* ad od. 4, 4.: „De Druso haec ode scripta est, propter quam et quartum librum contra dispositionem fecit in laudem Drusi Neronis, privigni Augusti Caesaris, filii Neronis." et Schol. *Porphyr*. ibid.: „Haec est ecloga, propter quam, ut supra ostendimus, totus hic liber compositus est. Scripta est ergo in Neronem Drusum, privignum et successorem Augusti, qui Rhaetos Vindelicos bello vicit." —

Haec quae tradunt Sueton. et Scholl. non carent dubitatione. Nam quod necessario ex eorum narratione sequitur, Horatium post victorias demum Drusi et Tiberii a. 739. de Raetis et Vindelicis reportatas hujus libri carmina fecisse, id falsum est, siquidem c. 6. *„Dive quem proles"* et c. 2. *„Pindarum quisquis"* certo constat prius exarata esse, illud quidem a. 737., hoc a. 739. ineunte. Deinde cum Augustus ab a. 737. usque ad mensem Mart. a. 741. abfuerit, ante ejus reditum autem praeter illa carmina etiam c. 4. *„Qualem ministr."* et 5. *„Divis orte bonis"* evidenter scripta sint: necesse est Horatio honorifica illa provincia ab Augusto *absente* demandata sit. Hoc vero si quid video ab omni probabilitate abhorret. Nec per Maecenatis intercessionem id factum esse crediderim, ut Kirchn. quaest. p. 34. not. voluit. Quocunque te vertis, Suetonii et Scholl. fides infringitur. Vide ne haec rerum *ἀσυστασία* ita componatur. Augustus Horatio non solum carmen saeculare componendum injunxit, sed eodem etiam tempore cohortatus est, ut denuo lyrica carmina scriberet. Obtemperavit poeta. Scripsit a. 737. carm. saec., eodemque a. carm. 6. et plura deinceps libri IV., quorum c. 3. *„Quem tu Melpomene"* eidem tempori, c. 9. *„Ne forte credas"* a. 738. jure assignaveris. Tum sequenti anno c. 2. *„Pindarum quisq.,"* 4. *Qualem ministr.,* fortasse etiam 1. *„Intermissa Venus diu"* et 10. *„O crudelis adhuc"*

nec ab Augusto nec ab aliis instigatus, sed sponte cecinit; dein a. 740. carm. 5. „*Divis orte*“; denique post reditum Augusti carm. 14. „*Quae cura Patr.*“ et 15. „*Phoeb. vol.*“ — Nova carmina Augusto mirifice placuerunt, inprimis 4. et 14. Propter haec igitur poetae mandavit, ut ea in librum redigeret, compositumque corpus pervulgaret. Nec dubito quin Horatius brevi obsecundarit. ***Hinc verisimile fit emissum esse librum ipso anno u. c. 741.*** Nullum autem hujus voluminis carmen ante trium priorum librorum confectionem scriptum esse persuasissimum habeo. Omnia intra ann. 737. et 741. orta sunt.

Denique *carmen saeculare*, quod Augustus Horatio scribendum injunxit, referente Sueton., constat a. 737. compositum esse, et inde ab hoc tempore omnium continuo manibus tritum probabile est. Nec quarto libro insertum fuisse videtur ab Horatio, cum ubique separatim laudetur a scriptoribus. *Masson.* in hist. crit. de la rép. des lettres tom. V. p. 193.: „Ce poëme fut publié dès l'année 737 de Rome dans la solennité des Jeux seculaires et il est toujours cité par les anciens auteurs et rapporté dans les manuscripts d'Horace comme separé de tous les autres livres de ce poete.“ cf. Masson. vit. p. 315. et Passov. not. 275.

Cap. VII.

Conspectus temporum quibus Horatius opera scripsit et edidit.

Eluctati feliciter per molestias itineris, quod ingressi eramus, salebrosi hercle et ardui, pedem aliquantisper figamus, ut et respiremus et ea quae emensi sumus uno obtutu veluti ex arce perspiciamus. Ordo igitur temporum, quo Horatius opera scripsit et edidit, ex mea quidem ratione hic est:

1. *Sermonum liber I.* ab anno u. c. 713. usque ad annum 720. compositus (41—34. a. Chr. n.; aetatis ann. 24—31.) prodiit monobiblos a. 719. (35. a. Chr.; aetat. a. 30.).

2. *Sermonum liber II.* intra annos u. c. 719. et 724. (35—30. a. Chr.; aetatis ann. 30—35.) scriptus publici juris factus est anno u. c. 724.

3. *Epodon liber* ab anno u. c. 713. ad annum usque u. c. 724. (41—30. a. Chr. n.; aetat. ann. 24—35.) confectus editus est anno u. c. 724. vel 725. (30. vel 29. a. Chr.; aetatis ann. 35. vel 36.).

4. *Carminum libri tres priores* intra annos u. c. 724. et 730. (30—24. a. Chr.; aetat. ann. 35—41.) exarati fine anni u. c. 730. aut initio proximi conjunctim evulgati sunt.

5. *Epistolarum liber I.* ab anno u. c. 730. usque ad VI. Id. Decembr. anni 734. (24—20. a. Chr.; aetat. ann. 41—45.) perfectus exiit ante diem Horatii natalem anni u. c. 734. (20. a. Chr.).

6. *Carmen saeculare* anno u. c. 737. edolatum emissumque est (ann. 17. a. Chr.; aetatis anno 48.).

7. *Carminum liber IV.* intra annos u. c. 737. et 741. (17. a. Chr. — 13. a. Chr.; aetatis annos 48—52.) confectus et anno 741. editus est.

8. *Epistolarum liber II.* primo jam edito et post carmen saeculare scriptus est, sed incertum quo anno.

9. De *artis poeticae* aetate nil constat.

Jam vero his temporum cancellis, quos neglecta maxime singulorum carminum aetate quasi externis indiciis et argumentis iisque ex poetae vita et universa scriptorum ratione petitis circumscribere studuimus, includenda sunt quoad ejus fieri potest singula deinceps carmina, quo et generalis temporum descriptio fidem accipiat, et uniuscujusque poematis, modo ne plane indiciis destitutum sit, aetas accuratius investigetur.

Ita ad alteram disputationis partem pervenimus, in qua ordiamur rursum a Sermonibus.

PARS II.

DE TEMPORIBUS QUIBUS HORATIUS SINGULA POEMATA SCRIPSERIT.

Cap. I.

De aetate Sermonum qui in libro I. leguntur.

Pauca sunt eaque valde incerta, quae de singulorum Sermonum temporibus comperta habemus. Sed nisi me omnia fallunt *praeter primum omnes eodem ordine scripti sunt, quo nunc leguntur*. Nam cum Horatius tam pauca poemata vix temere et sine certa ratione digessisse credi possit (cf. Heindorf. p. 206.), probabile fit aut argumentum eum aut compositionis tempus respexisse. Argumenti rationem habitam esse nemo adhuc docuit nec docuerit facile quisquam. At aetatem in secundae, quartae et decimae sedibus respectam vides, inde ut idem in sex reliquis factum esse non immerito concludas. Idque ipsis paene VV. DD. computationibus probaretur, nisi plerique septimam satiram omnium primum scriptam esse opinarentur, justo cupidius Massoni conjecturae (vit. Hor. p. 47—50. et p. 69.) adstipulati, quae nulla re confirmatur. Nec quidquam omnino video, quod meae sententiae possit objici. Caete-

rum Weichert. in poet. rel. p. 454 sq. et de Var. et Cass. p. 40—49. libri prioris sermones hoc ordine scriptos esse statuit: 7. 2. 4. 3. 5. 1. 9. 8. 6. 10.; Passov. in vit. not. 166. hoc: 7. 2. 8. 4. 1.; Kirchn. in tab. chron. hoc: 7. 2. 3. 5. 6. 1. 9. 8. 4. 10. Videamus ipsi.

SATIRA I. Maecenati dicata absoluto demum libro scripta videtur esse. Desunt certa aetatis indicia. Attamen ut post a. 716., ex quo in Maecenatis familiaritatem venit Horatius, orta putetur, res ipsa postulat. Deinde admodum probabilis est ratio Kirchneri eclogam a. 719. scriptam esse conjicientis, quia vs. 114. et 115. ex Virgil. Georg. lib. I. fin. expressi sint. Horatius enim cum dicat:

Ut, cum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Praeteritum temnens extremos inter euntem.

et Virgil.:

Ut, cum carceribus sese effudere quadrigae,
Addunt in spatia et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas,

quis et totam imaginem et permiram verborum similitudinem alterutri fortuito obvenisse dicat? Nec difficile intellectu est, uter imaginis auctor fuerit. Nam Virgilius, qui post longam de bellis civilibus atque externis conquestionem, ut cum Quintiliano instit. orat. 8, 3. §. 78. loquar, bella toto orbe excitata vix posse sepeliri viva imagine significaturus erat, in aptissimam comparationem desumptam a curru e carceribus emisso tantoque impetu ruente, ut ab auriga retineri nequeat, multo facilius potuit incidere, quam Horatius, qui eandem imaginem ita immutatam, ut aurigam in ludis circensibus etiam praevectis equis calcar addere diceret, in hominum pravam cupiditatem majora semper appetentium transtulit. Nam quamvis Horatii imaginem rei aptissimam dixeris: tamen paulo longius repetita est, quam ut Horatius Virgilio praeivisse videri possit, non Virgilius Horatio. Tum epica illa sublimitas et numerorum compositio, quae in Horatii versibus

subito exsplendescit, Flaccum aperte imitatorem prodit, sed dextrum et elegantem [1]). Jam cum Georgicon liber I. anno demum u. c. 719. confectus et editus sit, apparet satiram ante eum annum non potuisse scribi. Non recte igitur Weichert. p. rel. p. 454. et de Var. et Cass. p. 47. eam per hiemem a. 717—18. compositam dixit. — Caeterum qui v. 101. in nobili *Nomentani* consortio memoratur *Maenius* (ut recte reposuit Heindorf., probante Weicherto p. rel. p. 321.), egregius ille bonorum decoctor, notatus etiam in Sat. 1, 3. 21. et 23. et epist. 1, 15. 26., is ficto ***Pantolabi*** nomine carpitur Sat. 1, 8. 11.:

Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti.

et Sat. 2, 1. 22. id quod diserte animadvertit Schol. Acron ad epist. 1, 15. 26.: „Maenius hic Pantolabus dictus est ab eo, quod quicquid afferebatur acciperet.“ Hinc in Schol. ad Sat. 1, 8. 11. mendose scriptum apparet: „*Mallius* Pantolabus scurra“ (Cruq.) et: „Fuit *Mallius* Verna trans Tiberim ingenuis parentibus natus, qui, quia a multis pecuniam mutuam rogabat, Pantolabos est cognominatus.“ (Acr. et Porphyr.) pro: *Maenius*. — Denique cave collat. nostrae satirae v. 101. („ut *vivam* Maenius“ caet.) cum Sat. 1, 8. 11. male de aetate utriusque satirae ratiocinere, et octavam post primam exaratam dicas. Non enim mortui et sepulti, sed *vivi* Maenius (Pantolabus) et Nomentanus in satira 8. carpi cogitandi sunt. Alioquin totius loci acumen periret. Nec persuadere mihi possum, *Maenium* intelligendum esse Lucilii aequalem dudum defunctum, cum ubivis fere una cum L. Cassio Nomentano, Horatio *aequali* (cf. Sat. 2, 8. 23. 25. 60.), in scenam productus sit. Immo et ipse Maenius Horatii aetate vixit. Utriusque nomen pro

---

1) Caeterum saepius poeta Venusinus Virgilium aemulatus est. De v. 139. in epist. ad Pis. (nascetur ridiculus mus) ex Virgiliano (Georg. 1, 181. Saepe exiguus mus) composito id testatur Quintil. inst. or. 8, 3. §. 20. — cf. Sat. 2, 5. 8. et Virgil. ecl. 7, 42. — od. 3, 4. 7. et eclog. 10, 58. — od. 1, 1. 6 et Aen. 1, 282. Dan. Denso, Virgilii aemulus Horatius. Vismariae 1760.

quovis homine prodigo θετικῶς positum, qua re apud Horatium nil me judice frequentius. v. Weich. poet. rel. p. 412 sq. Passov. not. 173. Perperam Wieland. ad Sat. 1. not. 12. et Maenium et Nomentanum Horatii memoria jam defunctos fuisse judicavit.

SATIRA II. *„Ambubajarum collegia"* et ipsa certis aetatis notis caret. Sed ob probrosam licentiam, qua poeta impudica quaelibet et flagitiosa agresti paene voce effutit, dubitari non potest quin maturo satis tempore, omnium fortasse prima, ab ejus manu profecta sit. Cui conjecturae jam hoc favet, quod non solum ante quartam (cf. v. 27. et 4, 91. et 92.) et decimam (coll. 4, 6 sq. et 10, 1 sq. et vs. 50.) manifesto scripta est, sed etiam ante tertiam, quia in nostra Tigellii recens defuncti, in tertia vero ut dudum mortui mentio fit. cf. Kirchn. quaest. p. 52. §. 7. Majorem autem probabilitatem haec suspicio adipiscitur inde, quod Horatius hanc satiram multo ante composuit, quam Maecenatis familiaritate et patrocinio uteretur. Efficitur id notissimo illo versu 25.:

Malchinus tunicis demissis ambulat.,

quo ipsum Maecenatem tangi et carpi jam una et consentiens VV. DD. vox est, ita quidem, ut post ea, quae acutissime et eruditissime super hoc loco deinceps disputarunt *Buttmannus* in Mytholog. tom. I. p. 334 sq.; *Weichert.* poet. rel. p. 429—457. et de Var. et Cass. p. 41.; Theod. *Schmid.* in diurn. scholast. Darmstad. ann. 1829. Sect. II. fasc. 35. p. 284 sq.; *Kirchner.* in quaest. p. 50 sq. §. 4— §. 6. (cf. Passov. not. 50. p. XLIII. et not. 125. 166.) nec refellere opus sit eos, qui hanc sententiam Scholiastarum veterum testimoniis et Senecae philosophi epistola 114. confirmatam exploserunt (ut fecit Wieland. in not. 4. ad h. c. et Vanderb. in ed. carm. vol. I. p. 369.), nec fusius eam comprobare. Sed percurramus singula. Scholiastae igitur *Malchini* nomine [2]) *C. Cilnium Maecenatem* castigari cer-

2) De scriptura et originatione vocis v. Bentl. ad h. l. et Weich. p. rel. p. 429 sq.

tatim produnt. *Acron:* „Tunicis demissis, ut sibi honestus videatur. Composuit autem nomen quasi a *μαλθακός* Malthinus. *Mecoenatem tangit:* varicosus enim fuit, delicatior et solutus." *Porphyr.:* „Sub Malthini nomine quidam Mecoenatem suspicantur significari; ab re tamen finxit: *μαλθακὸς* enim quasi *μαλακός* dicitur. Porro autem tunicis demissis ambulare eorum est, qui se molles ac delicatos haberi velint." *Schol. Cruq.:* „Malthini nomine quidam Mecoenatem significari suspicantur caet." *Acron* ad Sat. 1, 2. 64. (Villius in Fausta): „Semper incerta pro certis. Nam Fausta Syllae filia T. Annio Miloni nupta fuit, ut supra exposuit. Alibi: Me dulcis dominae Musa Liciniae pro Terentiae; et *Malthinus tunicis demissis ambulat* pro *Mecoenas.*" — Haec quae tradunt Scholiastae ut probabilia fiunt insigni nominum similitudine et pari syllabarum numero ac quantitate[3]): ita extra omnem fere dubitationem ponuntur cum propterea, quod res quae diffamatur prorsus in Maecenatem cadit, ita ut, etiamsi poeta noluerit Maecenatem perstringere, de eo lectores cogitare debuerint, tum quod Seneca l. l. Horatianum locum ita respexit, ut dubitari non possit quin et ipse Maecenatem vellicatum esse putaverit. Is enim ubi dixit: „Quomodo Maecenas vixerit, notius est, quam ut narrari nunc debeat: quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere voluerit. Quid ergo? non oratio ejus aeque soluta est quam ipse discinctus?" pergit: „Non statim haec cum legeris, hoc tibi occurrit, hunc esse, *qui solutis tunicis in urbe semper incesserit* [4])?

Attamen his omnibus dixerit quispiam nil aliud probari quam hoc: et fieri potuisse, ut de Maecenate hic sugillato cogitaverint lectores et fuisse etiam, qui ita statuerent jam Horatii aetate et postea; nec tamen necessario consequi, ut ipse Horatius et intellexerit Maecenatem et

---

3) Cf. Bentl. ad Horat. Sat. 1, 2. 64. et od. 2, 12. 13. Weich. p. r. pag. 412 sq.

4) Alia veterum testimonia, quae huc quadrant, congessit Weicherti diligentia p. r. p. 446 sq.

intellectum voluerit. Audio et libenter largior, rectissime hujuscemodi ratiocinationem procedere. Quin immo distincte proponam inter quae optio datur. Aut enim noluit poeta Maecenatem vellicare et hominem nescio quem similiter nominatum ob eandem, quae Maecenati probro erat, mollitiem castigavit, aut vere Maecenatis incessus ei cum haec scriberet obversatus est. At plura in promptu sunt, quibus facile evincas, utrum verisimilius sit. Nam primum, sive Maecenas propter mollitiem sive propter pudorem, ut turpes crurum varices tegerentur, tunicis solutis et demissis palam ambulare consuevit, insolitus hic nobilissimi viri cultus isque vel posteris et cognitus et notatus nec aequales omnino nec ipsum Horatium istiusmodi res Lyncei oculis cernentem praeterire potuit. Deinde vero quis est, qui verisimile dicat Horatium non solum fortuito et casu in similem rem et denominationem incidisse, sed etiam tam obtusa mente fuisse tamque inconsiderate scripsisse, ut nec de Maecenatis habitu cogitaverit nec totum locum de eo ab aliis accipi posse unquam viderit. Et ut ipse non statim viderit, eumne credibile est nec postea animadvertisse? Eumne ab amicis hujus rei non commonefactum esse vel ab ipso illo Maecenate, qui se tactum vellicatumque esse poterat sentire? Eumne nec sponte nec amicorum vel ipsius Maecenatis suasu aut mutasse aut obliterasse verba? Cave in incili adhaereas! Ubivis Flaccus caute scripsit et circumspecte. Jure igitur iis accedes, qui Horatium consulto et de industria Maecenati illusisse ejusque insolitum vestitum in risum vertere voluisse arbitrantur. Hoc autem profecto multo ante fecit, quam in Maecenatis patrocinium et familiaritatem perveniret [5]). Nam cum publica ista irrisio acerbior quam facetior esset et ita comparata, ut bilem potius quam risum laesi hominis movere deberet: Horatius non solum imprudenter egisset sed ingrati etiam et maligni animi crimen subiisset, si insolentem *fautoris* sui et *amici* consuetudinem tam graviter exagi-

5) Audi poetam Sat. 1, 3. 43. „At pater ut gnati, sic nos debemus *amici* Si quod sit vitium non fastidire."

tasset. Nec Maecenas facile notam ejus, quem usu suo non ita pridem dignatus erat, aequo animo tulisset. Quemadmodum igitur Horatium propterea hoc probrum Maecenati intulisse utique statuendum est, ut vere laederet et pungeret eum, ita dubitari nequit quin et eo tempore hoc fecerit, quo nondum illi innotuerat, et singularem ludificationis habuerit caussam. Haec autem quae qualisque fuerit, non difficile est perspectu. Oderat et aversabatur Maecenatem, ut qui praecipuus potentis triumviri adjutor esset. Hunc igitur pariter atque alios, qui a Caesaris partibus stabant, sale suo perfricuit. Ita in hac ipsa satira statim ab initio: M. *Tigellium* (de quo v. Weichert. p. r. p. 297. Kirchn. quaest. p. 42 sq. Acron: musicus peritissimus et vocis eximiae, C. Caesari dictatori et post Cleopatrae acceptissimus, Augusto quoque Caesari amicissimus. Similiter Porph. et Schol. Cruq. cf. Sat. I, 3. 4.), v. 36. C. *Cupiennium Libonem* („Cumanum, Augusti familiaritate clarum" caet. Porphyr.), v. 48. *Sallustium* (cf. Heindorf. p. 41. Lips. ad Tac. Ann. 1, 6.) et eandem ob caussam v. 27. ex Weicherti conjectura (poet. rel. p. 429.) *Rufillum* et *Gargonium*. Hos vero omnes cum directe castigare non veritus sit, non dubito quin idem fecerit in Maecenatis irrisione. Itaque in ea sum sententia, ut ipsum *Maecenatis* nomen tum cum componeretur Satira in versu 25. scriptum, postea autem, cum poeta jam innotuisset ei et beneficio officioque obstrictus esset, *Malchini* nomine callide ficto commutatum esse dicam. Ita tenuia tantum salsi joci vestigia remanebant, quae etiamsi permultis sat plana et explicabilia essent, — ut ne nos quidem latent — tunicato tamen popello obscura fuerunt et perplexa. Atque ita et Horatius salvo pudore ac pietatis officio servavit versum cum ederet librum, et Maecenas salva fama eum non tolli sed mutari tantum pati potuit. — Caeteroquin Kirchnerus in quaest. p. 52. §. 6. recte oblocutus est Weicherto, qui in comment. de Vario II. p. 8. (de Var. et Cass. p. 43. et poet. rel. p. 457.) sibi finxit, Maecenatem satirae II. acrimonia offensum et subiratum aegre tandem Virgilii Variique intercessione et conjunctis eorum precibus permotum

esse, ut mordacem libertini Venusini filium commodus ad se admitteret. Nec tamen Kirchnero assentior statuenti, Maecenatem hac ipsa ecloga propensiore in Horatium animo factum esse, eumque paulatim in amicorum numerum adscripsisse. Immo cum semel eum dignum haberet, quem in familiaritatis foedus adsciseeret, non magnopere curabat probrum sibi illatum, quippe cujus caussam bene norat (cf. Passov. not. 129.). Alioquin versum tolli jussisset. Sed utut hoc fuit, de aetate satirae satis jam liquere arbitror. *Scripta videtur esse anno u. c. 714.* Etenim nec prius facile potuit, quia unius anni spatio minimum opus erat, ut poeta e bello Philippensi redux rerum et hominum in urbe conditiones pernosceret — nec posteriore tempore, quod improbabile est eum brevi post hanc ludificationem Maecenati se commendari passum fuisse. Primus autem Horatii et Maecenatis congressus incidit in exitum anni u. c. 715. vel in initium a. 716. — Ita convenit mihi cum Kirchner. quaest. p. 52. et Weichert. poet. rel. p. 300. et 453. de Var. et Cass. p. 41. — Non recte Grotefend. p. 461. satiram anno 717.; Paldamus in libro: Ueber Ursprung und Begriff der Satire p. 24. ann. 712—713. ortam esse dicunt.

SATIRAM III. *„Omnibus hoc vitium est"* post praecedentem scriptam esse tum inde efficitur, quod Tigellii *pridem defuncti* mentio fit, tum quod poeta Maecenati jam cognitus fuit, ut patet e vers. 63 sq.:

Simplicior quis et est, *qualem me saepe libenter*
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone: Molestus!
Communi sensu plane caret, inquimus. Eheu,
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam.

Nec fallimur opinor, si eclogam *proxime* post II., nec ita multo post primam cum Maecenate congressionem exaratam esse dicimus. Nam quod denuo ab initio perversam demortui Tigellii vivendi rationem pluribus exagitat, id documento est, fuisse, qui probro darent Horatio, quod in satira 2. tum omnino acerbe in aequales invectus

esset, tum ne mortuis quidem pepercisset. Quare uberiore hac Tigellii irrisione se non immerito nuper ei illusisse ostendit, atque in reliqua satirae parte, dum amicorum vitia leniter ferenda nec omnia peccata fastidiose premenda esse exponit, a crimine temerariae vellicandi libidinis sese defendit, et tantum candoris animo suo inesse probat, quantum atrae bilis criminati sint obtrectatores. Ita satis artam apparet cohaerentiam esse inter 2. et 3. satiram. Praeterea cum Tigellii memoria nondum exstincta esset, vix poterat magna temporis intercapedo inter utriusque compositionem esse. Alterum quod posui, satiram 3. brevi post primam congressionem scriptam esse, primum probatur argumento, quo nullum poeta aptius eligere poterat ad Maecenatis animum sibi conciliandum omnemque malignitatis suspicionem removendam (cf. Kirchn. quaest. p. 53. §. 9.); deinde vero verbis illis: „*qualem me saepe libenter obtulerim tibi, Maecenas.*“ Haec enim „timiditatem quandam atque incertam sese gerendi rationem cum longioris usus atque familiaritatis confidentia parum convenientem“ prodere optime perspexit Kirchner. quaest. p. 53. §. 8. Iam cum Horatius aut a. 715. exeunte aut initio sequentis Maecenatem primum convenerit, probabile fit, ***satiram 3. illo circiter tempore h. e. hieme ann. 715. et 716. exaratam esse.*** Ita Weichertus quoque statuit de Var. et Cass. p. 44. poet. rel. p. 454., et Passov. vit. Hor. not. 166. [in edit. sat. (Berolin. 1827.) pag. 19. a. 715—18.]. — Kirchner. in quaest. p. 52. §. 7—9. eam exeunte anno 716. aut initio sequentis scriptam putat; Grotef. p. 461. b. anno 718.

SATIRA IV. „*Eupolis atque Cratinus*“ ob vers. 91. et 92.: „*ego si risi, quod ineptus **Pastillos Rufillus** olet, **Gargonius** hircum,*“ in quibus respicitur v. 27. Sat. 1, 2., evidenter post hanc exarata est, et proxime quidem post tertiam. Nil certe video quod huic suspicioni objiciatur, et plura sunt quae stabiliant. Rem ita se habuisse probabile est. Qui inique tulerant, quod Horatius in satira 2. perversa hominum studia et pravos mores libere notasset, et ita, ut vel nobilibus viris et primariis petulanter

illuderet, eorum clamorem et criminationes nondum confutaverat satis satira tertia. In qua quamquam de vera aestimandi judicandique ratione, qua homines uti deberent, exposuerat seque in eos tantum, qui notatu digni essent, invehi confessus erat ingenue: fieri tamen non poterat quin lectores lepida satirae indole immixtisque salibus inducti animi candorem, quem sibi tribueret Horatius, simulatum potius quam verum crederent esse. Quin exstiterunt etiam, qui laudi ejus poeticae obtrectantes Lucilium, renovatae poesis conditorem, longe praeferrent ac potiorem dicerent. Hujusmodi judiciis injustis sane et ineptis commotus scripsit Horatius satiram 4., in qua non ut in praecedenti ingenua candoris sui confessione poesin suam defendit, sed ita, ut tum de pretio Lucilianae poesis dissereret, tum veram *suae* poesis indolem et naturam ex prisca Graecorum comoedia et Lucilii poematis conformatae, suumque in scribendo consilium et morem Romanis ob oculos poneret. Ita igitur graviore insidiosae malevolentiae et objurgationis veluti remedio adhibito obtrectatores suos refellere et non tam erroris quam clandestinae invidiae coarguere studuit.

Nollem igitur Weichert. (poet. rel. p. 202. 294. 300. 453. et de Var. et Cass. p. 44.) secutus Spohnium (ed. Jahn. p. 254.) temporis ordinem tertiae et quartae satirae ita invertisset, ut hanc illa priorem haberet et quartam quidem per aestatem anni 715., tertiam ineunte anno 716. scriptam esse existimaret; perperam consentiente Passovio in vit. not 166. Cui judicio ut nil plane favet, ita obstat, quod Horatium jam plura composuisse oportuit, cum satiram 4. scriberet, teste v. 23.:

> Cum *mea* nemo *scripta* legat vulgo recitare timentis ob hanc rem;

et v. 71.:

> Nulla taberna *meos* habeat neque pila *libellos.*

Ex Weicherti vero conjectura praeter septimam et secundam libr. I. nullam fecerat. Etiamsi igitur nolim premere, Horatium majore jure de scriptis suis loqui potuisse, si ante 4. jam 2. et 3. composuit — nam persuasissimum mihi est, permulta Venusini vatis poemata Romae inno-

tuisse, quae in syllogen non reciperentur — id saltem evincitur, satiram 4. nequaquam primitiis annumerandam esse. Altera ex parte ejus ortus non nimis disjunctus esse potuit a praecedentium, quia poeta, quantum conjectare licet, ab Octaviano alieno adhuc animo fuit. Nam ut in 2. et 3. in Caesarianos invehitur: ita acerba cum irrisione v. 94. hujus satirae *Petillii Capitolini* meminit, quem Octaviani amicitia et favore fructum fuisse testantur Scholl. Coronam Jovis Capitolini auream furatus erat; sed in judicium vocatus a judicibus in Caesaris gratiam absolutus est (cf. Lambin. et Weichert. poet. rel. p. 428.). Atqui Octaviano Horatius bene cupere coepit per annos u. c. 718 —720. (cf. p. 28.). Ergo satiram ante id tempus edolatam fuisse probabile fit. Non commemorabo, eandem maturae poetae aetati propterea adscribendam esse, quod is scripta sua nondum voluit publici juris facere (v. 71.); afferam potius disertiora. Nequit satira orta esse post a. 716., quo recitationes publicae ab Asinio Pollione institutae sunt [6]). Has enim nondum conditas et ordinatas fuisse intelligitur e vs. 74 sq.:

In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes;
Suave locus voci resonat conclusus. Inanes
Hoc juvat; haud illud quaerentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno.

Vix enim tanta cum contemptione hunc morem derisisset, si Pollionis commissiones, quae et oriebantur laudabili auctoris consilio et communi hominum doctorum plausu excipiebantur, jam invaluissent et publice quasi sancitae fuissent.

His rationibus fultus in eam adducor sententiam, ut satiram 4. non ita *multo post tertiam a. 716. compositam esse credam* (Male Grotef. p. 461. b. ann. 718.). Tum facilem explicatum habent vs. 21 sq.:

6) v. Bähr. hist. lit. Rom. p. 37. not. 9. Bernhardy, hist. Rom. lit. p. 105. not. 190. Thorbecke de Asin. Poll. p. 42. et 106 E. Chr. G. Weber, comment. de poett. Rom. recitat. Vimar. 1828. 4. p. 4 sq. Passov. vit. not. 137. p. 48.

Beatus Fannius ultro
Delatis capsis et imagine, cum mea nemo
Scripta legat vulgo recitare timentis ob hanc rem,
Quod sunt, quos genus hoc minime juvat, utpote plures
Culpari dignos.

Nam cum ex eis, quae de hoc *Fannio* (Quadrato), satirarum scriptore et „inepto Hermogenis Tigellii conviva" (Sat. 1, 10. 80.), memoriae prodiderunt Scholiastae, satis appareat, Fannii scripta et imaginem honoris caussa in bibliothecam aliquam delata ibique deposita esse: veri non est absimile intelligendam esse bibliothecam Asinii Pollionis ann. 715—716. conditam (v. Thorbecke p. 35 sq.), „praesertim cum idem Pollio bibliothecam primus auctorum imaginibus ornaverit, qui mos ab eo inde tempore invaluit," ut ait Thorbeck. p. 41. Tempus certe ex mea computatione isti sententiae convenit. Nec erat sane quod Weichert. p. rel. p. 293. sua ratione nixus eos, qui de Pollionis bibliotheca cogitarent, manifesti erroris facili negotio coargui posse diceret, scilicet quod satira 4. prius scripta esset quam prima publica bibliotheca conderetur. Ego vero eandem condita jam bibliotheca confectam esse persuasissimum habeo. Nihilominus Fannii capsas et imaginem in ea collocatas fuisse nego. Nam primum incredibile est ineptum istum poetam brevi post conditam bibliothecam insigni illo et inaudito honore fructum esse, praesertim cum *M. Terentii Varronis vivi* imago omnium prima in nova bibliotheca posita sit (Plin. h. n. 7, 31.). Deinde ipsa Horatii verba tam obscura sunt, ut jure dubites, num de bibliotheca aliqua cogitandum sit omnino. Nec Scholiastis res ad liquidum explorata fuit. Narrant enim secum pugnantia. Schol. *Cruq.*: „Fannius Quadratus poeta loquacissimus et ineptissimus fuit, cui Senatus audiendi fastidio ultro capsas et imaginem obtulit, ut libros suos mitteret et in auctoritatem reciperetur tanquam optimus poeta: velut alii referunt, Fannius, poeta malus, cum liberos non haberet, haeredipetae sine ejus cura et studio libros ejus et imaginem in publicas bibliothecas referebant, nullo tamen merito scri-

ptoris." — *Acron* inter alia haec habet: „Fannius iste malus poeta fuit, qui cum antea contempsisset datam sibi imaginem a Senatu, postea dum moreretur petiit, ut delatis in publicum capsis suis cum propriis libris incenderetur" et: „Fannius Quadratus eo tempore Satyram scribebat et erat sine liberis. Hujus imagines et libros haeredipetae in publicas bibliothecas referebant, nullo merito doctoris." Haec quae tradunt Scholl. apertum est non ex Horatii verbis, sed ex antiquiorum interpretum commentariis, fortasse ex *libris de personis Horatianis* scriptis, deprompta et enotata esse [7]). Nec tamen magnopere his

7) Laudant hoc opus passim Scholiastae. ***Porphyr.*** ad Sat. 1, 3. 21: „Qui de personis Horatianis scripserunt, ajunt Maenium caet." et ibid. v. 91.: „Qui de personis Horatianis scripserunt ajunt Evandrum" caet. Schol. *Cruq.* ad Sat. 1, 3. 21. Porphyr. ad Sat. 1, 1. 105.: „*sub nominibus* relatum est." Nusquam commemoratur ab *Helenio Acrone*, quem Porphyrione antiquiorem fuisse certo scimus; nam Porphyrion usus est illius commentariis, ipso teste ad Sat. 1, 8. 25.: „*Memini me legere apud Helenium Acronem*, Saganam fuisse nomine libertam Pomponii senatoris, qui a triumviris est proscriptus." et ad Sat. 2, 3. 83.: „Anticyra et oppidum et insula hoc nomine, sicut *Helenius* testatur." — *Acron* et ipse antiquis libris usus est, id quod testatur ad art. poet. 120.: „Apud *commentatorem* sic inveni relatum." et ad Sat. 1, 5. 97. „Baris civitas Apuliae quae appellatur Barium et Abdaris dicitur hodieque, ut dixit *grammaticus Theotistus.*" — Sed quod Acron libros de personis Horatianis scriptos nusquam citat, inde Weichert. poet. rel. p. 391. not. 1. collegit illud opus ab ipso Helenio compositum esse. Quae conjectura inde fortasse majorem probabilitatem adipiscitur, quod Porphyr. in nominibus explicandis Acrone multo accuratior est. Porphyrion ut multa singularia, ita plerisque in locis solus praenomina et cognomina habet (et ex eo quae fluxerunt Scholia Cruq.); Acron simpliciter affert nomen gentilicium, nescio an propterea quod diligentius hac de re in libro aliquo de personis Horatianis composito exposuerat. Comparari possunt utriusque Scholia ad Sat. I, 1. 101. I, 1. 14. I, 2. 91 et 95. I, 3. 84. I, 6. 12. I, 8. 39. I, 10. 9. I, 10. 17. I, 10. 36. et 38. II, 3. 60. 69. 310. epist. 1, 2. 4. 1, 2. 28. 1, 3. 1. od. 3, 3. 58. Caeterum Acron laudat ***Priscianum*** ad epist. 2, 1. 228.: „Arcesso autem idem significat, quod et primitivum ejus, a quo derivatur i. e. arceo. Sed secundum Priscianum arcesso venit ab arceo.," ***Schol. Cruq.*** ad od. 2, 7. 3. ***Donatum:*** „Quiritem singulariter positum quum pluraliter tantum veteribus sit usurpatum Quirites, teste Donato, sicut manes." ***Porphyrion vitam Horatii*** scripsit, quod intelligitur ex ejus scholio ad Sat. 1, 6. 41. „Patre libertino natum esse Horatium, et in *narratione, quam de vita ipsius habui*, ostendi."

confidendum esse vel permira narrationum discrepantia efficitur. Quare si Horatii verba sola respexeris, vides Fannii capsas i. e. receptacula, thecas sive forulos librorum et imaginem aliquo delata esse dici. Sed bibliothecae nulla fit mentio. Quare omnium minime cogitari potest de publica aliqua, nec de Asiniana, nec de *Octaviana* (anno 721. a Caesare condita, Dio Cass. 49, 43. fin., quam intellexisse videtur Kirchner., qui in quaest. p. 13. §. 30. satiram ad hiemem a. 722. retulit), nec de *Palatina* anno demum u. c. 726. fundata (Dio 53, 1. od. 1, 31.). Alium locum circumspiciamus necesse est. Et nisi me fallit tres praeterea explicationes prolatae sunt. Primum non infimo loco ponenda est *Lambini* ita disserentis: „O beatum Fannium, cui populus sive senatus ultro i. e. non petenti capsas, in quibus ejus libri conderentur ac servarentur, imaginemque ad memoriam ejus prodendam detulit." Ex hac interpretatione Fannio capsae ad recipienda ejus scripta et imago a populo honoris et aestimationis caussa oblatae sunt, aut propterea, ut capsae una cum imagine in locum aliquem publicum deferrentur, aut ut Fannius in domo sua libros conderet. *Spohnius* (ed. Jahn. p. 254.) capsas et imaginem ad bibliopolas missas esse contendit; cui sententiae hoc obstare dicit Weichert. poet. rel. p. 297. not., quod in Sosiorum tabernis imagines expositas fuisse non constet. Denique insipidi Fannii admiratores ejus scripta et imaginem in suis aut in privatis aliorum bibliothecis reponenda poterant curare, quam explicationem pluribus commendavit *Weichert.* p. r. pag. 295. Eaque, si omnino de bibliothecis cogitandum, verissima habenda erit. Sin spreveris quae Scholl. narrant et ipsis Horatii verbis institeris, necesse est confiteare dixisse poetam, a plebe et vel a doctis hominibus, qui inepta Fannii poemata plurimi facerent et admirarentur, ei loculamenta pretiosa et imaginem dono data et delata esse. Inde Horatius, ut qui sua scripta ne lecta quidem nedum laudata nosset, Fannium salse praedicavit beatum. — Haec vero omnia quo incertiora sunt et quo magis nituntur conjecturis, eo certius probant nequaquam temporis adminiculum ex loco quem tractavimus

peti posse. Caeterum cf. Weichert. p. rel. p. 290—297., et de bibliothecis qui nuperrime disputavit Becker. in Gallo vol. I. p. 160—164.

SATIRA V. *„Egressum magna"* egregie confirmat quam de ordine satirarum ex temporis serie constituto proposui conjecturam. Hanc enim a. 717. scriptam esse, non conjecturis sed certis historiae testimoniis probatur. Ac primum quidem cum Horatius iter hoc Brundisinum, quod Lucilium aemulatus testantibus Scholl. descripsit (cf. Varges, C. Lucilii Satir., quae ex libro III. supersunt. Stettin. 1836.), Maecenatis in comitatu fecerit (cf. v. 27.), id manifestum est non potuisse suscipi ante finem a. 716. vel initium sequentis, quo in intimam Maecenatis familiaritatem pervenit poeta (v. infr. ad Sat. 2, 6.). Unde erroris continuo coarguuntur qui iter in a. 714. incidisse sibi persuaserunt, quo per Maecenatis, Cocceji et Pollionis intercessionem inter triumviros Brundisii pax facta, et Octavia, Octaviani soror, vidua Marcelli, Antonio desponsa sit (Appian. b. civ. 5, 64. Plut. Anton. 31.). Horum opinionem docta insuper disputatione refellit Masson. in vit. Hor. p. 81—88. demonstravitque pag. 125., legatos, quorum iter Horatius comes descripserit, sub auctumnum (cf. vs. 14. 15. 73. 81. 96.) anni u. c. 717., — quo foedus Tarentinum inter Caesarem et Antonium Octaviae opera compositum est — ad Antonium Caesari reconciliandum Brundisium abiisse. Hanc Massoni sententiam, quam Wesseling. in observatt. variar. libr. II. cap. 15. futilibus argumentis ita rejecit, ut iter Brundisinum ad a. 716. pertinere diceret, quo Antonius a Caesare vocatus propter Sex. Pompeji bellum e Graecia Brundisium venit sed brevi post revectus est (App. b. c. 5, 78.) — Massoni, inquam, sententiam tam acriter tuitus est tamque docte confirmavit Kirchnerus in quaest. p. 54 sq., ut nec de veritate ejus dubitari possit, nec opus sit pluribus eam in rem inquirere. Quare Kirchneri vestigiis insistens summam tantum rerum decerpam.

Ante omnia videndum, quid ex Horatii descriptione

discamus. Is igitur una cum *Heliodoro* rhetore (cf. Ritschl, die alexandrin. Bibliotheken unter den erst. Ptolem. Bresl. 1838. p. 135.) Roma profectus *Maecenatem* et *Coccejum*, qui legationem obierant (v. 46.), ut dissensionem inter Octavianum et Antonium ortam componerent, ex composito exspectat *Terracinae*, neque hos solum, sed etiam *Fontejum Capitonem*, Antonio familiarissimum, *simul cum illis adventantem* convenit (v. 26 — 33.). Pergunt una in itinere et Sinuessae cum *Plotio*, *Vario* et *Virgilio* congrediuntur (v. 40); Varius discedit *Canusii* (v. 93.). *Brundisium* itineris finis. Recte autem Wesselingius *vere* id factum esse observavit (v. 14. 72. 81.). Sed in anno constituendo lapsus est. Nam verno tempore a. 716. Horatius convenerat quidem primum Maecenatem, nec dum tamen familiari ejus utebatur consuetudine. Deinde eodem tempore Antonium Brundisium venisse sumpsit sibi, nec probavit, recte notante Kirchn. p. 58. §. 9. — Hinc de a. 716. nequit cogitari. Omnia conveniunt a. 717. Nam cum Caesar per aestatem a. 716. in bello maritimo contra Sex. Pompejum gesto maximam classis partem et permultas copias circa Scyllaeum promontorium procellis et vi hostili perdidisset, ad Antonium misit Maecenatem, qui et simultates ortas componeret et ad belli societatem eum pertraheret (Appian. b. civ. 5, 92.). Quocirca Antonius ineunte vere a. 717. Athenis cum trecentis navibus in Italiam venit (App. 5, 93. Dio 48, 54. Plut. Ant. 35.), societatem quidem belli contra Pompejum gerendi praetendens, sed revera non tam agendi quam speculandi caussa. Exasperatus enim ob criminationes quasdam suspectum habuit Caesarem. Brundisium versus vectus castra ibi ponere decreverat. Arcebant tamen Brundisini. Hinc Tarentum perrexit. Sprevit principio Caesar opem ab Antonio oblatam, sive subiratus quod anno praecedenti non venisset auxilio, sive prospera fortuna elatus (App. 5, 93.). Et cum Antonium nollet convenire quamquam aliquoties evocatus, uterque imperator per amicos et internuncios rem suam egit expostulavitque inter se (Dio l. l. *πρὶν δὲ ἢ ἀποπλεῖν αὐτὸν, ᾐτιάσαντο ἀλλήλους, πρότερον μὲν διὰ τῶν ἑταίρων,*

ἔπειτα δὲ καὶ δι᾽ ἑαυτῶν.). Tandem Octavia intercedente effectum est, ut imperatores Tarentum inter et Metapontum congressi in gratiam redirent. Caesar duas legiones Italicas Antonio ad bellum Parthicum, Antonius Caesari 100 naves rostratas tradit. Deinde abeunt prorogato triumviratu in quinquennium, Antonius in Syriam, Caesar ad bellum Siculum (Plut. l. l. App. 5, 95. Dio 48. fin.). Jam quamquam scriptores Maecenatis et Cocceji eo tempore ad Antonium missorum non mentionem fecerunt, dubitari tamen nequit quin utriusque legatio, quam Horatius pinxit, in illud ipsum tempus inciderit. Concinunt enim omnia indicia. Primum cum summi imperatores inter se ita dissederint, ut Caesar Antonii congressionem devitaret, apparet non semel sed saepius legationibus ab utraque parte opus fuisse. Quin dissolvendis componendisque simultatibus eos fidorum amicorum interventu usos esse diserte tradunt historici. Nec veri profecto est absimile, Maecenatem potissimum et Coccejum (*κοινὸν ἀμφοῖν*. Appian. b. c. 5, 64.), quorum opera a. 714. foedus Brundisinum ictum erat, etiam a. 717. inter utrumque intercessisse, praesertim cum fuerint „aversos *soliti* componere amicos," ut ait Horat. v. 29. — Deinde verno tempore, quo Antonius in Italiam venit, aut aestatis initio has legationes missas esse oportet. Denique anno tantum 717., quo Italia militibus omnique bellico apparatu vacua erat, potuit iter ita pacatum imperturbatumque esse, quale Horatianum fuit. His omnibus nequaquam obstat, quod pax non Brundisii, quo Horatiani legati tenderent, sed Tarenti coiit, et quod Antonius Brundisii non commoratus est. Certe Brundisium vectus erat et mansisset ibi, ni incolae prohibuissent. Haud dubie Maecenati — quem brevi ante in Graecia convenerat — Brundisium se perventurum esse significaverat. Nec Caesar, si praestituta die legatos misit, scire poterat, Antonium a Brundisinis non receptum Tarentum perrexisse. Reliqua, quae Wesseling. Massoni rationi opposuit, bene refutavit Kirchner. quaest. p. 59. §. 14. et 15. Cum igitur iter Brundisinum vere anni u. c. 717. factum sit, probabile fit id ab *Horatio descriptum esse brevi post reditum,*

fortasse aestate vel auctumno ejusdem anni. Ita statuit etiam Grotef. p. 461. a. et censor (Feam) Kirchneriani libelli in ephem. liter. Hal. 1836. fasc. 22. p. 175. — Wesselingii tamen computationem recentiorum plurimi sequuntur, Heindorf. p. 111., Jahn. in introd. ad Virg. p. XIX. et in ed. Hor. p. 255., Weichert. de Var. et Cass. p. 45. et poet. rel. p. 454., Passov. vit. not. 121. et 166., Obbarius in Seebod. Jahn. et Klotz. annal. ann. 1835. vol. 15. fasc. 1. p. 63., alii.

SATIRA VI. „*Non quia Maecenas*“ quamquam certis temporis notis caret, prodit tamen aetatem argumento suo et fine. Nam cum Horatius ita jam in Maecenatis familiaritatem insinuatus esset, ut non solum frequens et perpetuus fere conviva (cf. v. 47. 50.), sed etiam itinerum socius et comes esset (cf. Sat. 1, 5.), fieri non poterat quin invidia et malevolentia obtrectatorum, qui *fortunae filium* limis oculis intuebantur, magis etiam accresceret et augeretur. Hinc novam criminandi caussam adepti exstiterunt, qui, quem antea tanquam malum poetam deriserant et innatae vellicandi libidinis insimulaverant, ei *jam natalium ignobilitatem, pravam ambitionem* et *servilem adulationem* exprobrarent. Hujuscemodi criminationes in caussa fuerunt, ut Horatius in hac satira primum *de vero honore* et *nobilitate* exponeret (v. 1—44.), deinde se nec prava ambitione nec forte fortuna sed fidorum amicorum, Virgilii et Varii, commendatione in Maecenatis amicitiam pervenisse fateretur (v. 45—55.); denique prima congressione verecunde descripta (v. 56—61.) ingenium suum, institutionem et simplicem vivendi rationem (v. 62—fin.) haud minori candore quam urbanitate depingeret. Hoc autem profecto non ita multo post fecit quam lividi isti et invidiosi rumores sparsi sunt. Atqui hos statim ab eo tempore, quo Horatius artiore amicitiae vinculo cum Maecenate copularetur, dissipatos esse per se consentaneum est, adauctos vero etiam et vehementius increbruisse, ex quo iter Brundisinum in patroni comitatu fecerat et egregii hujus honoris testem evulgaverat satiram quintam. Sextam enim

post hanc scriptam esse, non temere colligere mihi videor e vs. 104 sq., in quibus poeta iter illud Brundisinum respexit et ita respexit, ut simul confirmentur, quae de ejus tempore antea disputata sunt. „Nunc mihi," inquit,

„Nunc mihi curto
Ire licet mulo vel, si libet, *usque Tarentum,*
Mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos."

Hinc satiram 6. proxime post *praecedentem exeunte anno u. c. 717. compositam esse* dico. Quam computationem commendant omnia. Primum de posteriore tempore cogitari nequit. Nam a. 718. et insequentibus Maecenas absente Caesare *„cunctis apud Romam atque Italiam praepositus erat,"* ut ait Tac. Annal. 6, 11. (cf. Dio Cass. 49, 16. fin. *τά τε ἄλλα τὰ ἐν τῇ πόλει τῇ τε λοιπῇ Ἰταλίᾳ Γάϊος τις Μαικήνας ἀνὴρ ἱππεὺς καὶ τότε καὶ ἔπειτα ἐπὶ πολὺ διῴκησεν,* ibiq. interpr. (Sturz. V. p. 590.) Vellej. Pat. 2, 88.). Cujus honoris Horatius ab initio satirae, ubi nobilitatem praedicat Maecenatis, haud dubie mentionem fecisset, si eam vel a. 718. vel postea scripsisset. At plane hac de re tacuit. Quin ex vers. 30—39. manifesto apparet Maecenatem nondum Caesaris partibus functum fuisse. Alioquin vix de homine novo et ignobili, qui imperium teneret, verba fecisset haec:

Sic, qui promittit, cives, urbem sibi curae,
Imperium fore, et Italiam et delubra deorum;
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quaerere cogit.
Tune, Syri, ***Damae*** aut ***Dionysi filius***, audes
Dejicere e saxo cives, aut tradere Cadmo?

Ergo satira annum u. c. 718. antecessit. Neque tamen ante a. 717. potest orta esse, ut tum ea probant quae supra attuli, tum v. 54.:

Nulla etenim mihi te fors obtulit; optimus *olim*
Virgilius, post hunc Varius dixere, quid essem.

Perperam Weichert. de Var. et Cass. p. 48. satiram initio anni 721.; Passov. vit. not. 166. p. LXII. 718—19.; Kirchn. tab. chr. et Grotef. p. 461. b. anno 718. adscripserunt. Mecum plane facit Wieland., qui in not. 18. haec inter

alia habet: „So kann auch die gegenwärtige *sogenannte* Satire nicht vor dem Jahre 717, aber auch nicht wohl später aufgesetzt sein. Sehr wahrscheinlich *folgte sie unmittelbar* auf das brundusische Reisejournal.“ — Caeterum de Tillio (v. 24. et 106.) cf. Weich. de V. et Cass. p. 330 sq.

SATIRA VII. „*Proscripti regis*“ diu est ex quo ver sacrum poetae habetur. Rodellius, Dacerius, Valartus aliique eam anno u. c. 712. assignarunt, Masson. vit. p. 47—50. et pag. 69. a. 713., cui praeter Heindorfium aliquanto cautiorem (p. 164.) adstipulantur omnes, etiam antistites Horatianae χρονολογίας et antesignani, Weichert. de Var. et Cass. p. 40. poet. rel. p. 300. 453., Passov. not. 166. p. LXI., Grotefend. pag. 459. b. et Kirchn. quaest. p. 16. §. 34. — ita ut unanimis haec tot tantorumque virorum vox et consensus magnum verae computationis documentum videatur esse. At vero aut res apertissimae me fallunt, aut nimis illi creduli Massoni conjecturam comprobarunt. Primum temporis adminicula plane desunt. Nam quod quae describuntur Persii et Rupilii Regis lites in a. 711. vel 712. incidunt, id nequaquam probat satiram brevi post scriptam esse. Poterat post decennium et plures annos scribi, nec metuendum erat poetae ne tam faceta perridiculae rei pictura minus delectaret lectores. Alioquin ne nos quidem delectaremur. Deinde vero vehementer vereor ne temere verba jaciant, qui in satira rudimenti vestigia deprehendere sibi videntur et idcirco primitiis eam annumerandam esse censent. Nam si quid video haec, quamvis omnium brevissima, suo in genere praestantissima est, quippe quae et compositionis elegantia et elocutionis suavitate et *vivae actionis luminibus* ita excellit, eam ut cuiquam alii cedere praefracte negem, quin etiam potiorem dicam *prima*. Ita Massoni conjecturam nulla omnino re confirmari vides. Persequamur quae ei adversentur. Neminem facile callida quaedam ironia vel potius apathia fugerit, qua poeta *Bruti* mentionem fecit in vs. 23 sq.:

— — laudat Brutum laudatque cohortem;
Solem Asiae Brutum appellat, stellasque salubris
Appellat comites, excepto Rege —

et vs. 33 sq.

— — Per magnos, Brute, Deos te
Oro, qui reges consueris tollere, cur non
Hunc regem jugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est.

Frigida autem haec animi affectio, qua non solum siccis oculis defuncti Bruti meminit, sed etiam cum levi paene contemptu laudationem ejus et primarium facinus in risum vertit, profecto aliena fuit ab Horatio brevi tempore post cladem Philippensem, quo satira orta esse putatur. — Fidus enim partibus, quas secutus erat, haud dubie per longum temporis spatium Bruti sociorumque cladem vere et sincero animo lugebat, et silere opinor malebat quam oblique Brutum tangere. Hinc mihi quidem non dubium est quin inter pugnam Philippensem et hujus satirae compositionem aliquot anni intercesserint. Jam cum lex, ex qua sermones ordinatos esse conjeci, in sex prioribus plane servata sit: etiam hujus satirae aetatem a praecedentis non multum discrepare dixerim. Ergo *anno u. c. 718. eam scriptam esse probabile est.* Huic anno, in quem Caesaris expeditio adversus Sex. Pompejum suscepta et hujus fuga incidit, egregie conveniunt vs. 10 sq.:

— hoc etenim sunt omnes jure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit: inter
Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut *ultima divideret mors,*
Non aliam ob caussam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit; *duo si discordia vexet inertis,*
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco: discedat pigrior, ultro
Muneribus missis. —

in quibus quae tum gererentur ea a poeta tecte significata esse puto. — Certiorem fortasse temporis notam subministrant, quae de Bitho et Bacchio gladiatoribus in v. 20. memoratis scripsit *Porphyrion:* „Bithus et Bacchius gladia-

tores optimi illis temporibus fuerunt, qui, cum multos interemissent, commissi inter se mutuis vulneribus conciderunt; et *cum eodem tempore* mulier, quae septem extulerat, nuberet ei, qui uxores septem amiserat, compertum est epigramma.“ — quod quando factum sit me fugit.

SATIRA VIII. *„Olim truncus eram“* quem annum natalem habeat, ob indiciorum defectum difficile dictu est. Sed conjecturis locus datur. Videamus igitur quid probabiliter extricari possit. Dubitari nequit quin jam adulta Maecenatis et Horatii familiaritate, ergo post a. 717., scripta sit, qua de re nollem secus judicasset Passov. vit. not. 166. p. LXI. Nam non solum honorificam novorum hortorum, quos Maecenas in Esquilino monte adornaverat, mentionem facit poeta v. 14. 15., sed accuratam etiam locorum prodit notitiam v. 12. 13. Quin argumenti fictio et tractatio ejusmodi est, ut haec ecloga et nemini magis arridere potuerit quam Maecenati ac qui in ejus domo versabantur hominibus, et vero etiam horum potissimum in delectationem videatur composita esse. Haud dubie obscoena Priapi statua recens sculpta et posita saepissime risum et jocum moverat eorum, qui *„aggere in aprico spatiari“* consueverunt, inprimis ex quo virens trunci lignum arescendo rimosum fieri coepit et diffissum erat (Wieland. not. 8.). Inde accidit, ut Horatius omnium dexterrime hac jocandi caussa usus et duos veluti parietes de eadem fidelia dealbans tum Canidiam ejusque magicas artes singulari et egregia lascivia irrideret, tum de novo hortorum custode jocularia fingeret suo in genere eximia. Haec qui reputaverit, is non ex vano haustum esse judicabit, quod satiram corroborata demum Maecenatis et Horatii amicitia ortam esse dixi. Jam si proxime post praecedentem scripta est — id quod aetas et ordo priorum suadent — *referenda erit ad ann. u. c. 718.* vel ad initium sequentis. Atque huic conjecturae favent, quae de tempore, quo Maecenatis horti et aedes conditi fuerint, explorari possunt. De qua re ita quaeram, ut convellam simul Kirchneri computationem. Is enim in quaest. Hor. §. 34. p. 16. satiram, de

qua agitur, a. 721. adscripsit, quia tempore non nimis disjuncta esse possit a satira libri II. tertia a. 722. composita, in qua Maecenas etiam tum in aedificando occupatus esse dicatur v. 312. Doleas sane, quod vir ille doctissimus non firmiora argumenta contra Bentlejanam rationem in usum suum convertit. Hoc certe ne flocci quidem faciendum. Primum jam id falsum est, quod Sat. 2, 3. ante a. 722. exaratam esse negat. Nam cum Agrippa jam a. 721. aedilitatis onus ultro susceperit (Dio. 49, 43.), ipse versus 185., in quo hujus rei mentio fit,

Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu.

docet satiram eodem anno et potuisse scribi, et scriptam verisimile esse. Quare vel ita satira 1, 8. priori tempori assignanda fuerit. Deinde quamquam concedi potest, Maecenatem in aedificandis *hortis Esquilinis* tum occupatum fuisse significari Sat. 2, 3. 308 sq.:

Accipe: primum
Aedificas, hoc est, *longos* imitaris ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis.

(ubi *Acron* annotavit: Hoc propter Maecenatem, qui tunc hortos aedificabat magnos.) et v. 312.:

An, quodcunque facit Maecenas, te quoque verum est. —

apparet tamen hanc argumentationem debili admodum inniti fundamento. Nam eodem jure de quavis alia aedificatione cogitaveris. Et quando tandem Maecenas per vitam aedificare desierit! — Denique inter *hortos* Maecenatis et *turrem* distinguendum est [8]). Illos quidem consentaneum est prius adornatos fuisse quam haec exstrueretur. Atqui in satira 1, 8. tantummodo *horti novi* (v. 7.), iique ne plane confecti quidem commemorantur, non autem condita domus. Contra in Sat. 2, 3. 312. cum cohaerentia cogit,

---

8) Cf. od. 3, 29. 6. — Meibom. vit. Maecen. c. 28. p. 172 sq. et locos quos laudavit hos: Sueton. Oct. 72. Tiber. 15. Senec. epist. 114. Propert. 4, 8. 1. — Passov. p. LXI. not. 166. unde sumpserit, Esquiliarum locum anno u. c. 713. Maecenati ab Octaviano dono datum esse, me fugit. — v. Weich. de Var. et Cass. p. 48. §. 9.

ut de aedium exstructione cogites, tum quod eas jam anno 723. a Maecenate habitatas esse constat, teste Horat. epod. 9, 1 sq. et Sat. 2, 6. 32 sq. Inde manifestum est ex utriusque loci comparatione nequaquam posse caussam elici, qua permotus Satiram 1, 8. proxime ante Sat. 2, 3. exaratam dicas. Immo cum complanatio et siccatio loci tam paludosi, ut aer crassus et concretus vicinitati noceret, haud dubie plurium annorum laborem postularet, absolutaque deberet esse, antequam novarum aedium fundamenta jacerentur: patet cum aedificationem, quae a. 723. ad finem perducta esset, tum magis etiam hortorum structuram multo ante a. 723. inceptam fuisse. Satira autem 1, 8. scripta est antequam sepulcreti complanatio absoluta esset, id quod praeter vs. 15. 20. et 36. luculenter commonstrant vs. 17 sq., unde adeo recentem montis culturam fuisse apparet, ut ne fures quidem feraeque locum vexare desuevisse dicantur. Qua de re dubitari nequit quin annum u. c. 720. multo antecesserit. Debet autem post ann. 717. composita esse. Vide igitur ne annum 718. verissime ei assignaverim natalem. — Weichert. de Var. et Cass. p. 48. a. 719—20., Grotef. p. 460. b. ann. 715. eam scriptam esse autumant. cf. Kirchn. quaest. p. 27. §. 50.

SATIRA IX. „*Ibam forte via*" scripta est, cum Horatius jam ita in gratia Maecenatis esset, ut non solum in dies aliorum invidentia accresceret, verum etiam essent, qui ejus auctoritate et intercessione se illi traditum commendatumque cuperent (v. 43 sq.). Cum igitur ex iis satiris quae praecedunt nulla tam artam Maecenatis et Horatii familiaritatem prodat quam haec, nescio an summo jure iis omnibus posterior esse dicatur. Nec abutimur puto divinationis adjumento, si eam intra praecedentium et sequentis tempora inclusam ***anno fere u. c. 719. edolatam esse*** contendimus, et verno quidem tempore (v. 70. cf. Jahn. ed. p. 259.). Idem placuit Weicherto de Var. et Cass. p. 47. poet. rel. p. 454. et p. 303., atque Passov. vit. not. 166. — Kirchn. tab. chr. 720.

SATIRA X. *„Nempe incomposito“* excepta prima omnium postrema ***anno u. c. 719.*** scripta est. Quae computatio quamquam non confirmatur certis historiae indiciis, verissima tamen videbitur esse singula rerum quae in recensum veniunt momenta pensitanti. Primum ut apertissime alteram hujus libri satiram et quartam excepit, ita evidenter post a. 717. orta est, quod Maecenas inter poetae familiares producitur v. 81. Deinde satiram primam, quae hanc proxime secuta est, anno 719. exeunti probabiliter adscribi, nec in tota sylloge ullam posterioris temporis notam esse, supra aliis rationibus subductis probatum ivi. Quocirca ea tantum percurram, quae et morari aliquem possint, quin eo adducere, ut alia omnia vera credat, et meae rationi opitulentur. — Quod in v. 26. ***duram Petillii caussam*** (cf. Sat. 4, 94.) oblique tangit, gravissimo documento est, satiram ante a. 720. ortam esse; nam illo temporis tractu Horatius Caesari deditus esse coepit, desiitque ejus familiaribus illudere. Idem suadent v. 42 sq. (v. p. 25.). Diu fraudi fuit interpretibus v. 62., in quo ***ambusti Cassii Etrusci*** mentio facta est. Hunc enim neminem alium quam ***Cassium Parmensem*** esse, unum ex Caesaris interfectoribus, post pugnam Actiacam Athenis occisum, doctissimi quique rati sunt, et quidem, ut unum tantum et alterum afferam, ***Masson.*** vit. Hor. p. 157., ***Bentl., Ruhnken.*** ad Vell. Pat. 2, 88., ***Spohn.*** in Jahn. ed. p. 261., et vel ipse ***Kirchn.*** quaest. p. 16. Jure vero meritoque perversam istam opinionem, a qua post alios hac memoria ***Wieland.*** et ***Heindorf.*** p. 221. caute discesserunt, penitus explosit doctissimus ille ***Weichert.*** in praeclara commentat., quam scripsit de Cassio Parmensi poeta, cujus dilucidis ratiocinationibus nemo facile diffidat. Cf. (de Var. et Cass.) p. 265 sq. et poet. rel. p. 276. — Difficilem explicatum habent vs. 38 sq.:

— — *haec ego ludo,*
Quae neque in aede sonent certantia judice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.

de quibus v. Jahn. in edit. p. 260. et inprimis Weich. p. rel. p. 334. not. 3. — Sed certum est non posse intelligi Apollinis templum a. demum 726. conditum, de quo cogitant Scholl. Equidem non dubito accedere Massono (vit. p. 161.) domum privatam intelligenti, in qua poetae scenici carmina sua coram judice recitaturi convenire soliti sint. — De ***Pantillio*** v. 78. memorato (haud dubie nomine ficticio) exposuit Weichert. poet. rel. p. 281 sq. — Spohnius referente Jahn. p. 261. ab Horatio tecte vellicatum esse conjecit *Tullium Cimbrum*, obtrectatorem Virgilii unicum, cujus conjecturae rationem Weichert. l. l. sibi pariter latere dicit atque ipsum illum Tullium Cimbrum. Spohnii opinatio fluxit nisi me fallo inde, quod Virgilii epigramma a Quintiliano in inst. orat. 8, 3. §. 28. servatum: „*Corinthiorum amator iste verborum*" caet. non ad Annium sive *Annaeum Cimbrum*, Mantuani poetae obtrectatorem, retulit, sed ad *Tullium Cimbrum* vel potius *Tillium Cimbrum*, Caesaris occisorem, sollemni paene errore, a quo ne Hemsterhusius quidem sibi cavit, annotante Spaldingio l. l. vol. III. p. 230. — Denique, ut ad initium satirae redeam, octo illi versus, qui in quibusdam tantum codd. ei praefixi leguntur, facile eo aliquem adducant, ut duplicem eclogae recensionem ab ipso poeta factam esse existimet; nam id persuasissimum mihi est, ipsum Horatium horum versuum auctorem esse; cujus judicii praecipuum adjumentum non erubesco ex singulari eorum colore petere, quem vere Horatianum esse sentio, nec tamen persuadere cuiquam ausim. Sed cum duplicis recensionis nulla praeterea in ecloga vestigia sint, potiorem duco eorum sententiam, qui Horatium ab his versibus satiram incipere voluisse, tum mutato consilio aliud exordium scripsisse autumant (Similiter Weich. p. r. p. 360.). Nec magnopere refragabor, si quis cum Doeringio versus ad integritatem satirae necessarios esse et revera ejus aditum patefacere malit existimare. Qua in sententia J. H. *Vossius* quoque fuit, qui ita hac de re disseruit (Anmerkungen und Randglossen zu Griechen und Römern von J. H. Voss, herausgegeben v. A. Voss. Leipz. 1838. p. 252. II. Horaz.): „Wahrscheinlich hat der bitter

getadelte Grammaticorum equit. doct., der gewiss mit seiner Junkergelehrsamkeit, dieser mühsam ihm eingebläueten, in Rom viel zu lachen gab, für Geld und gute Worte von den Buchhändlern erhalten, dass in so vielen Abschriften als möglich der Anfang dieser Satire wegblieb. Vielleicht auch liess Horaz selbst sich erflehen, den Eingang zu tilgen, als schon mehrere Abschriften bekannt waren. — *Ut redeam illuc.* „Auf sein voriges Urtheil von Lucilius, das man ihm übelnahm. Sat. 4." Immo: ut eo redeam, unde exorsus eram, h. e. ut probem, vere mendosum esse Lucilium — non enim nego me dixisse incomposito pede ejus versus currere — quod quivis facile concesserit — nec quae laudanda sunt consulto omisi. At id apparet, me non magis Laberii mimos quam illius poemata mirari posse.

Caeterum de aetate satirae VV. DD. mirum quantum inter se discrepant. Mecum plane faciunt Grotefend. p. 462. a. et Passov. not. 166. p. LXII. — Masson. vit. Hor. p. 156 sq. eam adscripsit a. 724. labenti; Spohnius mensi Octobr. a. 723. (Jahn. edit. p. 261.), itemque Weichert. poet. rel. p. 203. 278. 303.; de Var. et Cass. p. 49. 57. 219. 233. 266.; Wieland. et Heindorf. p. 216. ad v. 38. a. 717.; Kirchn. quaest. p. 13. et 16. a. 723., consentiente Obbario in Seebod. Jahn. et Klotz. annal. ann. 1836. vol. 16. fasc. 1. p. 47.

Cap. II.

De aetate Sermonum qui in libro II. leguntur.

Quamquam plurimorum Sermonum qui in altero libro leguntur aetas non potest ad liquidum explorari, probabili tamen ratione e paucis quae exstant temporum indiciis colligas, harum quoque eclogarum ordinationem factam esse secundum temporis seriem qua compositae sunt. Mirabili certe casu accidit, ut hic quoque in tertiae, quintae et sextae collocatione temporis ratio constanter habita sit. Prima autem omnium novissima fasciculo praeposita est. Properemus ad singulas.

SATIRA I. „*Sunt quibus*" a. u. c. 724. scripta est. Pro qua computatione omnia temporis indicia apprime faciunt. A vs. 10. ita inter se confabulantur callidus poeta et Trebatius:

Aut si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
Praemia laturus. Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, *nec fracta pereuntes cuspide Gallos*
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.
Attamen et justum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius. — Haud mihi deero,
Cum res ipsa feret: nisi dextro tempore Flacci

Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem;
Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.

Quae commemorantur „*vulnera Parthi labentis equo*," ea vix dubitari poterit quin ad a. 724. pertineant, quippe quo Octavianus ab Aegypto per Syriam et Asiam minorem profectus et subditorum omnia negotia et primum **Parthica** composuit (Dio Cass. 51, 18. *ἔς τε τὴν Ἀσίαν τὸ ἔθνος διὰ τῆς Συρίας ἦλθε, κἀνταῦθα παρεχείμασε, τά τε τῶν ὑπηκόων ὡς ἕκαστα καὶ τὰ τῶν Πάρθων ἅμα καθιστάμενος.* Oros. 6, 19. Dehinc Caesar pedestribus copiis in Syriam venit, deinde in Asiam ad hiberna concessit.). Contra Phraatem Teridates quidam seditionem moverat. Utrique auxilia petenti, quamdiu Antonius post pugnam Actiacam restitit, denegavit Octavianus. Sed mortuo Antonio cum Teridates superatus in Syriam fugisset et Phraates victor legatos ad Caesarem misisset, Caesar amice his respondit, et Teridati, ut in Syria versaretur, concessit, filiumque Phraatis aut a Teridate (ut Dio tradit lib. 51, 18. fin.), aut ab ipso Phraate (testante Strabone VI. fin. cf. interprett. Dion. l. l. Strz. vol. VI. p. 20. not. 125.) obsidis loco acceptum Romam deduxit (Sueton. Octav. 43. Justin. 42, 5.). — Noli autem vulnera, quae Parthis ab Octaviano inflicta dicuntur, ita premere, ut eximium aliquod factum respici putes. Nam communem poetarum illius aetatis morem, ut, etiamsi Octavianus nihil quod admodum memorabile esset adversus Parthos gesserit, magnifice tamen de rebus Parthicis loquantur, hanc inquam veritatis superlationem hic quoque animadvertes. Horatium igitur cogita, quae de expeditione haud infelici successu suscepta ipsi rùmore innotuissent, ea ad libidinem auxisse.

Idem fere cadit in illa verba: „*fracta pereuntes cuspide* ***Gallos***" quae, quoniam nullum rerum gestarum fundum haberent, nescio ad quae retulerunt tempora inaniter interpretes. At perperam hoc affirmant; siquidem inter ea, quae Caesar ante pugnam Actiacam egit, non minimam ipsi pepererunt gloriam iteratae quas in Galliam suscepit expeditiones. Nam non solum ipse initio a. 715. in Gallias profectus erat, ut excitatos motus sedaret (Dio 48,

20. pr. Appian. p. 1135.), sed etiam Agrippa ejus auspiciis ineunte a. 717. contra seditiosos Gallos pugnavit et triumphi honore affectus est. Tum ipse Caesar et in Italia et in recens commota Gallia res inspexit et ordinavit (Dio 48, 49. *αὐτὸς μὲν ἐφορῶν καὶ διατάττων ταῦτά τε καὶ τὰ ἄλλα τά τε ἐν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ ἐν τῇ Γαλατίᾳ. κίνησις γάρ τις παρ᾽ αὐτοῖς ἐγένετο.*). Deinde a. 719. tum aliis tum gentibus Alpinis bellum intulit, colonias in Galliam dimisit (Dio 49, 34.), et Pannonia pacata a. 720. rursus in Galliam progressus est (Dio 49, 38.). Omninoque ad id usque tempus et postea saepius ei cum aliquot Galliae gentibus rem fuisse, colligas inde, quod Dio Cassius aliqua certe fide historica fultus Caesarem in oratione ad milites ante pugnam Actiacam habita *Gallos domitos* commemorantem facit lib. 50. cap. 24.: *τὸ γάρ τοι Ῥωμαίους τε ὄντας, καὶ τῆς πλείστης καὶ ἀρίστης οἰκουμένης ἄρχοντας, καταφρονεῖσθαι καὶ καταπατεῖσθαι πρὸς γυναικὸς Αἰγυπτίας, ἀνάξιον μὲν τῶν πατέρων ἡμῶν — ἀνάξιον δὲ καὶ ἡμῶν αὐτῶν τῶν τοὺς Γαλάτας κατεστραμμένων* sq. Quid quaeris? Primo die triumphi (a. d. VIII. Id. Sext. a. 725.) de Pannoniis, Dalmatis, Japydis finitimisque eorum et nonnullis Germaniae ac *Galliae* populis triumphavit teste Dione 51, 21. (*ἑώρτασε δὲ τῇ μὲν πρώτῃ ἡμέρᾳ τά τε τῶν Παννονίων καὶ τὰ τῶν Δελματῶν, τῆς τε Ἰαπυδίας, καὶ τῶν προσχώρων σφίσι, Κελτῶν τε καὶ Γαλατῶν τινων.*). Quidni igitur Horatius memoriam rerum ab Octaviano in Gallia gestarum, quae vel triumpho dignae erant, blanda cum observantia iis verbis potuerit repetere? Qua de re non est quod cum Heindorf. p. 235. de M. Valerii Messalae victoriis cogites, quas de Gallis Aquitanis post pugnam Actiacam reportavit (Appian. b. civ. 4, 38.) Nec quod Gallos maxime et Parthos Horatius nominavit, mirationem cuiquam faciet, qui liberum poetae arbitrium et delectum servare velit. Et quis tandem caussas, quibus ductus hoc illudve tetigerit vel reticuerit poeta, dudum tenebris offusas penitus rimetur? Tacuit etiam de Antonio superato hic et od. 1, 37. et epod. 9., cujus tamen rei rationem facile perspicies ex Dionis verbis lib. 51, 19.: *καὶ προσεψηφίσαντο τῷ Καίσαρι*

καὶ στεφάνους καὶ ἱερομηνίας πολλὰς, καὶ αὐτῷ καὶ ἕτερα, καὶ ἐπινίκια ὡς καὶ τῶν Αἰγυπτίων ἀγαγεῖν ἔδοσαν. τὸν γὰρ Ἀντώνιον καὶ τοὺς ἄλλους Ῥωμαίους τοὺς σὺν ἐκείνῳ νικηθέντας οὔτε πρότερον οὔτε τότε, ὡς καὶ ἑορτάζειν σφᾶς ἐπ' αὐτοῖς δέον ὄν, ὠνόμασαν. —

Ex his jam intelligi arbitror, satiram a. 724. scribi *potuisse.* Superest ut revera eam hoc a. scriptam esse doceam.

Primum igitur nequit priore tempore, quod Octavianus ante a. 724. res Parthicas nondum tetigerat. Nec *invicti* nomine v. 11. ante potuit ornari quam Antonius et Cleopatra devicti et exstincti essent.

Deinde satira non potest post a. 724. composita esse. Nam cum anno proxime sequente tam multa evenerint, quae et notatu dignissima et ipsi Octaviano summo honori et laudi essent, quis est, qui verisimile dicat Horatium haec omnia, quorum commemoratione debitam suam observantiam imperatori juste posset attestari, vel de industria vel casu nescio quo tacuisse, *et tum tacuisse cum consulto laudaturus esset Octavianum.* Non sane tantam diffusam fuisse *„imis oblivionem sensibus"* Horatii crediderim, ut, quae interpretes obliti sunt post longam utique saeculorum seriem, ea ipse fuerit oblitus post unum duosve annos. Fac igitur, hanc satiram a. 725. vel posteriore etiam tempore exaratam esse. Qui tandem factum fuerit, ut *„vacuum duellis Janum Quirinum"* a. 725. clausum (Dio 51, 20. ibique interpr. ed. Sturz. vol. VI. p. 24. not. 154. Vellej. 2, 38. Liv. 1, 19.) ne verbo quidem commemoraverit, praesertim cum ea de re Octavianus omnium maxime exsultaret? (Dio l. l. *πλεῖστον δ' ὅμως ὑπὲρ πάντα τὰ ψηφισθέντα οἱ ὑπερήσθη, ὅτι τάς τε πύλας τὰς τοῦ Ἰανοῦ, ὡς καὶ πάντων σφίσι τῶν πολέμων πεπαυμένων αὐτοῖς ἔκλεισαν.*) Qui tandem factum fuerit, ut splendidissimum triumphum, quem Octavianus a. d. VIII. VII. et VI. Id. Sextil. a. 725. egit (Dio Cass. 51, 21. interpr. ed. Strz. vol. VI. p. 27. Serv. ad Virg. Aen. 8, 714. Sueton. Oct. 22. Liv. epit. 133. Oros. 6, 20. Macrob. Sat. 1, 12.), cujus celebratio jam ipsis

Calend. Januar. ejusdem anni praeparata erat (Dio 51, 20.), ne leviter quidem tetigerit? De eo non tacuit in carm. 2, 12. a. 725. ut videtur scripto (cf. Masson. p. 183.) v. 9 sq.:

— tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius; *ductaque per vias*
Regum colla minacium.

Quidni morum magisterium, quod Caesar a. 725. subiit (Dio 52, 42.), aliaque multa, quae in carminibus tunc ortis honoris caussa passim commemorantur, tetigit? Estne tandem credibile talia ab Horatio omissa et alto silentio esse pressa? Credat quisquis volet. Equidem persuasissimum habeo, satiram multo ante reditum Octaviani et triplicem triumphum, Janumque obseratum et tum quidem scriptam esse, cum Caesarem in Oriente versari Romae constaret, nec dum de Parthorum legatione nuntius allatus esset (Dio 51, 20.), h. e. ante Calend. Jan. a. 725. Eodem fere tempore vel potius paulo posteriore, sed ante triumphos habitos (v. Jahn. introd. Virg. p. XXIV.) Virgilius in Georgicon libr. III. v. 13—48. Caesaris facta celebrat, ex quibus hos potissimum velim cum Horatianis contendas (v. 30 sq.):

Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten,
Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis.

Falluntur igitur magnopere, qui primam libri II. satiram et idcirco totam syllogen post a. 724. confectam esse statuunt, quippe perperam interpretati indicia parum sane certa. Enimvero in tali quaestione eam omnino legem sequendam esse arbitror, ut incertas temporum notas non ad libidinem vel specie historicae fidei fulti huc illuc trahamus, sed ante omnia quaeramus, quid hoc illove tempore commemoratum esse verisimillimum sit, quid non potuerit debueritve reticeri, tum velut in firmiore fundamento fluxa et dubia temporis indicia figamus et confirmemus. — Non recte Weichert. poet. rel. p. 277. et 298. not. 22. satiram anno 727. et Kirchner. quaest. p. 17. §. 35. a. 726. assignarunt. — Passov. vit. not. 166. p. LXII. et not. 146.

eam reliquis priorem dicit. Convenit mihi cum Grotefend. pag. 466. a. Incertus haeret Obbarius in Seebod. Jahn. et Klotz. ann. vol. 15. p. 64. et vol. 16. p. 48. —

SATIRA II. *„Quae virtus"* ad a. 720. refero. Caret quidem fateor certis temporis adminiculis, nisi quod ob vers. 103.:

— quare
Templa ruunt antiqua Deum? —

ante a. 726. scripta esse debet, quo Octavianus „aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas refecit," ut ait Sueton. Oct. 30. cf. Dio 53, 2. Vell. 2, 89. Hor. od. 3, 6. 2. — Nec desunt tamen, quae rationem meam aliquatenus certe commendent. Primum enim omnes libri II. satirae post editionem libri I. scriptae sunt, h. e. post a. 719. Deinde si revera Horatius in ordinandis satiris respexit compositionis tempus — cui conjecturae favent omnia — in promptu est videre, satiram 2, 2. omnium primum exaratam esse et proxime quidem ante 3., cujus ortus in finem a. 721. incidit. Quare extrema pars a. 719. et initium a. 721. summa probabilitate termini constituentur, intra quos haec satira composita sit. Ita Wielandius quoque et Heindorf. judicavere, nisi quod librum II. jam a. 718. scribi coeptum et *„Trebatium"* (Sat. 2, 1.) quoque usque ad a. 721. confectum esse perperam affirmarunt. Kirchner. in quaest. p. 13. §. 30. et p. 60. §. 17. et 18. speciosius quam verius satiram 2. ad auctumnum a. 717. retulit, quo Horatius ex itinere Brundisino redux Ofellum suum in agro prope Venusiam sito reviserit. Sed ut reviserit *„metato in agello fortem mercede colonum,"* ut ex ejus sermocinationibus praeclarae hujus eclogae materiam desumpserit — quod mihi quidem perquam verisimile videtur esse — potestne inde colligi, satiram ab Horatio statim post reditum exaratam esse? — Grotefend. p. 463. a. ann. 719.

SATIRA III. *„Sic raro scribis"* in villa Horatii Sa-

bina mense Decembri a. 721. scripta est. [1]) Annum indicant v. 180. et v. 185.:

> — — „Jure
> Jurando obstringam ambo: uter *aedilis* fueritve
> *Vestrum praetor, is intestabilis et* sacer esto.
> — — — — — —
> Scilicet ut plausus, *quos fert Agrippa,* feras tu,
> Astuta ingenuum volpes imitata leonem?"

quos in laudem et honorem M. Vipsanii *Agrippae* poeta interposuit. Is enim a. 721. sponte aedilitatis munus subiit et tam ludis circensibus et spectaculis magnificentissime apparatis quam publicis aedificiis pulcherrime exstructis eam apud populum Romanum iniit gratiam, ut, ubicumque in ejus conspectum veniret, ingenti plausu exciperetur (Dio 49, 43. Plin. h. n. 36, 13.). Haec igitur gratiae captandae caussa Horatius intrusit poemati, nec alio profecto tempore, quam quo Agrippae nomen ob egregia facta, quae togatus perageret, in omnium aure et ore haerebat. Nemo autem inde, quod ea verba Servio Oppidio Canusino tributa sunt, qui „dives

> Antiquo censu, gnatis divisse duobus
> *Fertur* et haec moriens pueris dixisse vocatis
> Ad lectum" —

colliget, satiram multo post mortem Servii Opidii et idcirco multo post aedilitatem Agrippae compositam esse. Facile enim est ad intelligendum, Horatium totam narratiunculam non ad veritatem depinxisse, sed ad arbitrium conformasse et in usum suum convertisse. Ut Nomentanus et Cicuta *Romani* a *Canusino* carpuntur, qui fortasse ne nomina quidem eorum noverat: ita Horatius Agrippam laudat in-

---

1) Pristino perfectissimae hujus satirae nitori turpissimum et monstruosum paene scripturae vitium ad hunc usque diem offecit in v. 276., quod doleas sane nuperrime commendatum esse denuo a Cl. Mitscherlichio in Racematt. Venusin. fasc. II. (Gotting. 1829.) p. 8. Scripsit Horatius, ut brevi praecidam:

> Adde cruorem
> Stultitiae atque ignem gladio scrutare modo, *in quem*
> Hellade percussa Marius cum praecipitat se,
> Cerritus fuit? — cf. epist. 1, 18. 81 sq.

terprete Servio Oppidio. Fortasse Servius *brevi antequam satira scriberetur* revera mortuus erat, ita ut Agrippae mentio non repugnaret verisimilitudini.

Saturnalibus satira facta est (v. 5.), et quidem in villa (v. 5. et 10.), quae brevi ante poetae a Maecenate videtur dono data esse. Ejus exornatio, aediumque exstructio vel refectio signantur nisi me fallit v. 307.: „*Accipe, primum aedificas.*“ Idque per biennium fere durasse videtur. Nam tum demum, cum aedificia sarta tecta essent, scripsit Horatius satiram II. 6. „*Hoc erat in votis.*“ — Masson. vit. p. 133 — 135., Wieland., Heindorf. p. 278., Vanderb. ad od. 2, 6. eandem quam ego proposuerunt temporis descriptionem. Non satis sibi constitit Passov. vit. p. XII. not. 28. et not. 66. 166. — Kirchner. quaest. p. 16. §. 34. (cf. p. 28. §. 52.) et Grotef. p. 463. b. satiram a. 722. assignarunt.

SATIRA IV. „*Unde et quo Catius,*“ in qua poeta, ut Wuellneri verbis utar (comment. de aliquot carm. Horat. Dusseld. 1833. p. 4.), gastronomiam sive disciplinam palatorum subtilium cum in universum tum inprimis qualis ea illo tempore Romae erat versibus salsis ac facetis perstrinxit,“ tamen ut eos simul, qui libidinosae vitae illecebris deliniti Epicuri nomen moribus suis praetenderent, oblique tangeret et derideret (v. 95.), — *per a. 722. composita* esse videtur. Quamquam ne egomet ipse quidem in hanc computationem juraverim. Nititur enim ea tantum conjectura, quam de Sermonum ordinatione saepius proposui. Idem tamen placuit Grotefendo p. 465. b., cui in eo quoque assentior, quod ab Horatio sub *Catii* persona *Catium Insubrum Epicureum* intellectum esse dixit. Nam philosophum esse Catium *Horatianum*, ingeniosum et doctum (v. 7. 88.), clare apparet e vers. 1 — 9. Nec profecto ex vano hausisse Scholiastae putandi sunt, qui Catium — cui in uno scholio *Marci* praenomen tribuitur — Epicureum fuisse et *quattuor libros de rerum natura et de summo bono* scripsisse tradunt. Atqui praeter Catium Insubrum Epicureum, cujus nuperam mortem Cicero in epist. ad fam.

XV, 16. anno fere 708. tangit, nullus ejusdem nominis et sectae philosophus a scriptoribus memoratur. Hic autem, quantum ex Cic. epistola conjectare licet, Epicureae haeresis, qualis apud Romanos tunc florebat, non ignobilis antistes fuit, eoque notior haud dubie, quo plures disciplinae voluptariae tum favebant. Ergo nil magis consentaneum est, quam ut huic ipsi quamvis demortuo Horatius tribuerit *„res tenues tenui sermone peractas"* (v. 9.). Eadem ratione in prima hujus voluminis satira *defuncti Trebatii Testae* jurisconsulti usus est persona (cf. Grotef. p. 466. a.). Quemcunque autem in animo habuit Catium, id extra omnem dubitationem positum est, non Catium rosum esse *sed ignotum novorum praeceptorum auctorem,* cujus nomen Catius pertinaciter celat (v. 10. 11. 87. sq.). Quapropter *Mansonis* conjecturae, qui in script. miscell. p. 285. *C. Matium* equitem, Augusti amicum, intellexit, nihil tribuendum, praesertim cum Matius syllabam primam productam, Catius correptam habeat, ut bene observavit Obbarius in Seebod. Jahn. et Klotz. annal. vol. 15. fasc. 1. p. 57. Mansoni adstipulatur Passov. vit. not. 172. — Nec audiendi sunt qui Catii nomine vel ipsum Horatium vel Maecenatem latere arbitrantur. Immo quaerendum est, quis *ignotus* ille *Catii praeceptor* fuerit. Hunc igitur Wieland. incredibili commento suspicatus est esse *Horatium*; Heindorf. p. 337. multo verisimilius *Maecenatem*. „Equidem nihil hinc diffingere possum. Sed tamen ut monitus caveas, ne forte" in Weicherti errorem incidas, qui in poet. rel. p. 417. ab Heindorfio *sub Catii nomine* ipsum Maecenatem intellectum esse parum accurate scripsit. — Redeo in viam. Kirchner. in tab. chron. satiram ad a. 724. retulit, propterea opinor, quod in idem tempus incidit satira 8. „Ut Nasidieni juvit te *coena* beati." cf. Masson. vit. p. 33 sq.

SATIRA V. *„Hoc quoque Tiresia"* aetatis notam quamvis incertam continet in v. 62 — 65., ubi poeta Tiresiam vaticinantem fecit ita:

Tempore quo juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Aenea, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.

Ex his certo discimus satiram post ann. 720. scriptam esse; nam ante id tempus Horatius Octaviano nondum ita favit, ut blandam et honorificam ejus mentionem alicubi fecerit. Probabili autem ratione colligi posse videtur eam ante pugnam Actiacam exaratam esse; nam si post, Horatius haud dubie magnificentius locutus esset et disertiorem rerum gestarum laudem intexuisset. Cave igitur ob verba „*juvenis Parthis horrendus*“ de expeditione cogites, quam Octavianus a. 724. et 725. in Asiam suscepit, et subditorum omnia negotia et vero etiam *Parthica* compositurus (cf. p. 110.). Eo tempore poeta unicum rerum arbitrum vix *juvenis* nomine insignivisset, nec Parthis eum horrendum, sed ipsos Parthos jam *prostratos* et subactos dixisset, plane ut Sat. 2, 1. 15. „*vulnera Parthi labentis equo*“ praeter veritatem memorat. Omninoque vehementer a vero aberrant, qui satirae ortum vel ad a. usque 726. proferunt, parum memores, quam incredibile sit, Horatium triumphi celebrationem, Janum clausum, alios honores Octaviano ipsis Calend. Januar. a. 725. decretos vel casu vel de industria tacuisse, et res multo minus memorabiles in ejus laudem commemorasse. Id praeclare vidit Grotefend., qui pag. 465. b. ita scripsit: „Durch die Worte: „„Parth. horrendus““ darf man sich nicht verleiten lassen, die Satire später als 722 zu setzen, indem sie nur heissen, dass man von Octavian die Vollendung der Pläne Caesars erwarten könne. Später wäre der Ausdruck viel zu schwach gewesen.“ Ex Horatii loco Virgilius in Georg. lib. III. videtur expressisse vs. 34.:

Stabunt et Parii lapides, spirantia signa
Assaraci proles, *demissaeque ab Jove gentis*
Nomina, Trosque parens et Trojae Cynthius auctor.

et in I. Aeneidis Jovis vaticinium v. 286.:

Nascetur pulchra Trojanus origine Caesar,

Imperium Oceano, famam qui terminat astris,
Julius, a magno demissum nomen Julo.

Neque vero de Jano obserato tacuit, sed: „*Dirae*" inquit v. 293.:

— *dirae ferro et compagibus arctis*
Claudentur belli portae.

Quodsi igitur satira, de qua agimus, ante pugnam Actiacam et post a. 720. scripta est, vehementer vereor ne verum viderit Grotefend., qui l. l. eam *ad ann. 722.* retulit, propterea quidem, quod praecedentem exceperit et antecesserit proxime sequentem. Improbavit hoc Obbarius in Seebod. Jahn. et Klotz. annal. vol. 15. p. 62., nimirum vulgari adhaerens opinioni, ex qua satiram post ann. 723. ortam statuunt. Ita Weichert. p. rel. p. 346. not. 11. eam a. 726., Passov. not. 146. et Kirchn. tab. chr. a. 725. adscripserunt. — Heindorf. p. 370. a. 719—21.

SATIRA VI. „*Hoc erat in votis*" aetatem sat certis indiciis prodit. Narrat poeta a v. 51. unumquemque fere, qui sibi obvius sit, ex se quaerere ita:

„O bone (nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet)
Numquid de Dacis audisti? „Nil equidem." Ut tu
Semper eris derisor! „At omnes Di exagitent me,
Si quicquam." Quid? *militibus promissa Triquetra*
Praedia Caesar an est Itala tellure daturus?"

Dacorum mentio, quae in his facta est, probat satiram scribi non potuisse ante finem a. 723., quo primum Romanis cum illis res fuit. Nam ante pugnam Actiacam a Caesare nihil eorum, quae per legatos petiissent, adepti Antonio sese addixerant et contra Romanos arma sumpserant (Dio 51, 22. Hor. od. 3, 6. 13 sq.). Sed cum ipsi inter se dissiderent, non magnopere adjuverunt Antonium, captorumque quidam cum Suevis dimicare coacti sunt (Dio l. l.). Manserunt tamen Romanis infestissimi. Hinc factum, ut Antonio ad Actium superato *jam exeunte anno 723.* motus cierent. Nam Augusto IV. consule i. e. anno. 724. M. Crassum cum Dacis et Bastarnis pugnasse diserte perhibet Dio Cass.

51, 23. Ita intelligitur curiosos homines ex Horatio de Dacis non ante ann. 723. quaesivisse, potuisse autem quaerere fine h. a.

Eodem tempore sermo esse potuerit necesse est *de praediis quae Caesar militibus promiserit.* Ita vero est. Nam cum Caesar post pugnam Actiacam et eos, qui sub Antonio militaverant, et vero etiam suos in Italiam dimisisset, nec ulli quidquam dedisset, ut refert Dio Cass. 51, 3., gravissima veteranorum seditio in Italia orta est, eaque tanta, ut ipse ad eam compescendam media hieme ann. 723—24. (Dio 51, 4. *μεσοῦντος τοῦ χειμῶνος ἐν ᾧ τὸ τέταρτον μετὰ Μάρκου Κράσσου ἦρχεν*) ex Asia Brundisium profectus ibique commoratus sit, donec desideria militum explevit. Qua ratione stipendiorum praemia iis solverit, discimus ex Dion. Cass. 51, 4.: *καὶ αὐτῶν ὁ Καῖσαρ τοῖς μὲν ἄλλοις χρήματα ἔδωκε, τοῖς δὲ διὰ παντὸς αὐτῷ συστρατεύσασι καὶ γῆν προσκατένειμε. τοὺς γὰρ δήμους τοὺς ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τοὺς τὰ τοῦ Ἀντωνίου φρονήσαντας ἐξοικίσας, τοῖς μὲν στρατιώταις τάς τε πόλεις καὶ τὰ χωρία αὐτῶν ἐχαρίσατο. ἐκείνων δὲ δὴ τοῖς μὲν πλείοσι τό,τε Δυῤῥάχιον, καὶ τοὺς Φιλίππους, ἄλλα τε ἐποικεῖν ἀντέδωκε. τοῖς δὲ λοιποῖς ἀργύριον ἀντὶ τῆς χώρας τὸ μὲν ἔνειμε, τὸ δ' ὑπέσχετο. συχνὰ μὲν γὰρ καὶ ἐκ τῆς νίκης ἐκτήσατο, πολλῷ δὲ ἔτι πλείω ἀνήλισκε.*— Rebus ita compositis post triginta dies (Dione teste 51, 5.), aut post septem et viginti (Sueton. Octav. 17.) in Asiam celerrime revectus est. Jam cum loco Horatiano praedia dicantur *promissa, necdum data,* dubium esse nequit quin satira tum scripta sit, cum dimissi milites tumultuarentur h. e. labente a. 723. Jure autem Romani Horatium interrogare poterant, Siculamne an Italam terram Octavianus militibus daturus esset, ii inprimis, qui Antonianis partibus faverant, fundis suis timentes et praesagientes mala illa, quae nova agrorum divisione facta revera perpetiebantur.

Denique a. 723. vergenti egregie convenit, quod v. 38. scriptum est: „*Inprimat his, cura, Maecenas signa tabellis.*" Etenim *Maecenas,* Romae et Italiae tum prae-

fectus, et *Agrippa*, qui in fine a. 723. ei in auxilium missus erat, non solum literas ab Octaviano acceperunt omnes ad perlegendum et mutandum, sed etiam anulum ejus signatorium sphingis imagine insignitum, cujus duplex ejusdem formae exemplar Octavianus habebat. Eo igitur uterque in obsignandis tabellis inde ab a. 723. utebatur. v. Dio 51, 3. Plin. 37, 4.

Quod si certum est satiram *exeunte a. 723.* scriptam esse, intelligitur simul, *quo tempore Horatius Maecenati familiaris factus sit.* „*Septimus*" inquit v. 40.

„*Septimus octavo propior jam fugerit annus,*
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero." —

Jam si *septem annos prope peractos* de a. 723. deduxeris, incides in *exitum a. 716.* vel in *initium a. 717.*, ut rectissime observavit Kirchner. in quaest. p. 50. §. 3. Et cum Horatius nono demum mense post quam Maecenatem primum convenit in ejus amicitiam venerit (Sat. 1, 6. 58.): manifestum est primam illam congressionem factam esse aut exeunte a. 715. aut initio proximi [2]).

Caeterum cave credas poetam *brevi antequam* hanc satiram scriberet villam accepisse, ut persuasit sibi Passov. vit. not. 102. 115. et 166. Nam jam ante pugnam Actiacam eam possidebat (epod. 1, 25. 31.), quin jam anno 721. (Sat. 2, 3. v. 5. et 10.). Et desiderium ruris, quod ex-

---

2) Non recte igitur Weichert. p. rel. p. 458., Passov. not. 115. 116. 121. 148., Grotefend. p. 461. et olim Masson. p. 150 sq. statuerunt, Horatium Maecenatis familiaritate et patrocinio jam *initio ann. 716.* usum fuisse, ita ut primum eum convenerit a. 715. — Id inde factum probabile est, quod verba: „*Septimus octavo propior* caet." interpretati sunt ita, ut *octo annos* paene praeteritos ab Horatio significatos esse putent. Ita Obbarius, v. cl., in censura Kirchn. quaest. in Jahn. annal. 1836. vol. 16. fasc. 1. p. 53. scripsit haec: „Unseres Erachtens und so dürften auch Weichert und Jahn die Worte gefasst haben, besagen sie nichts anders als: Es sind beinahe 9 Jahr, seitdem = Septimus prope octavus. Aehnlich sagt Göthe in Herm. u. Dor.: „..Und es sagte darauf der edle verständige Pfarrherr, Er die Zierde der Stadt, *ein Jüngling näher dem Manne.*"" — So Wieland, Döring, Pass. not. 116, Grotef., aber nicht Lambin, Haberfeldt, Braunhard." — Equidem recte explicasse verba mihi videor ita: „Es sind *beinahe sieben volle Jahre.*" —

primit v. 60. pariter atque amabilis rusticationis descriptio (62 sq.) certissimo documento sunt, eum pridem praedium habuisse; id quod dudum observavit sagacissimus Obbar. in diurn. schol. Darmst. 1834. p. 918.

In aetate autem satirae definienda permirus est et unanimis recentiorum interpretum consensus, quorum disputationibus corruunt etiam, quae Bentlejus in praef., eique adstipulati Heindorf. p. 392. (v. 55.), Wieland. not. 4. aliique de tempore non recte protulerunt. Post Massonum igitur (vit. Hor. p. 150—154. et histoire crit. de la rép. d. lettr. vol. V. p. 197.) eam rationem quam meam feci secuti sunt Jahnius in annal. ann. 1831. I. 2. p. 229. et in ed. Hor. p. 271., Kirchn. quaest. p. 19. §. 37. 38., Grotef. p. 466. a., Obbar. l. l., Passov. vit. not. 45. 115. et alibi.

SATIRA VII. *„Jamdudum ausculto"* et **VIII.** *„Ut Nasidieni"* ex mea quidem sententia praecedentem proxime secutae et a. 724. scriptae sunt. Neutrius aetas certo potest describi. In novissimis esse septimam inde colligas, quod praedium Sabinum v. 28. et 118. ita memoratur, ut poeta pridem in ejus possessione fuisse videatur. Sed in explorando tempore sat. 8. frustra laboraveris. Nec expisceris facile, quis ille Nasidienus fuerit. Non enim posse intelligi *Salvidienum Rufum*, Octaviani amicitia clarum — id quod praeeunte Lambino probare studuerunt Heindorf. p. 425. et Buttmann. in Mytholog. vol. I. p. 332 sq. — bene ostendit Weichert. poet. rel. p. 418. Quippe Salvidienus jam a. 714. mortem obierat (Dio Cass. 48, 33. Appian. b. civ. 5, 66. Liv. epit. 127.). Nec Spohnio (ed. Jahn. p. 271.) credo intelligenti Q. *Nasidium*, M. Antonii ducem et classi praefectum, quem M. Agrippa ad Patras pugna navali devicit a. 723. (Dio 50, 13.). — Kirchn. in tab. chron. sat. 7. anno 725., sat. 8. a. 724. assignavit, Grotef. p. 465. b. et 466. a. utramque a. 724. —

Cap. III.

De epodon aetate.

In ordinandis epodis Horatium probabile est metrorum rationem habuisse. Certe hanc ob caussam decem priores juxta se positi esse videntur. Nec in his neque in reliquis aut argumentum aut aetatem respexit. cf. Passov. not. 183.

EPODUS I. *„Ibis Liburnis"*, „in quo Maecenatem prosequitur euntem ad bellum navale cum Augusto adversum Antonium et Cleopatram", ut ait Acron ad v. 1., medio fere a. 723. compositus est. Cum enim Caesar et milites omnes et vero etiam senatores et *equestris* dignitatis viros Brundisium evocasset, *τοὺς μὲν, ὅπως τι συμπράξωσιν αὐτῷ, τοὺς δ', ὅπως μηδὲν μονωθέντες νεοχμώσωσι. τό, τε μέγιστον, ὅπως ἐνδείξηται τοῖς ἀνθρώποις, ὅτι καὶ τὸ πλεῖστον καὶ τὸ κράτιστον τῶν Ῥωμαίων ὁμογνωμονοῦν ἔχοι* (Dio 50, 11.), etiam Maecenas eo se contulisse videtur. Nam quod a Scholiastis narratur Liburnis praepositus fuisse (*Acron:* ad actiacum bellum iturus Caesar Augustus Liburnis praeposuit Maecenatem. *Cruq.* ad v. 1.: ad Maecenatem, qui omnem militiam Caesaris naumachia i. e. navali proelio ordinaturus proficiscebatur ad bellum actiacum.), id vehementer vereor ne commenti sint ob v. 1. Nil certe hac de re historici. Sed utut hoc est, dubitari nequit quin Maecenas ceperit quidem consilium in bellum paratum abeundi, nec tamen peregerit. Nam eo ipso tempore Romae

et Italiae praefectus „*absentis partibus Caesaris*" functus est, ut ait Seneca in epist. 114. §. 6. cf. Dio 51, 3.: *Μαικήνου, ᾧ καὶ τότε ἥ τε Ῥώμη καὶ ἡ λοιπὴ Ἰταλία προσετέτακτο*. interpr. ad Dion. libr. 49, 16. fin. ed. Sturz. vol. V. p. 590. Tac. Annal. 6, 11. Dio 55, 7. Masson. vit. p. 143. — De altis navium propugnaculis cf. Dio Cass. 50, 18. 23. 29. — Perperam Masson., Jani, Doering. carmen ad ann. 722. retulerunt. Verum viderunt Vanderb., Passov. not. 183., Kirchn., Jahn. p. 244. et Grotef. p. 466. a.

EPODUS II. „*Beatus ille*" probabili conjectura assignatur a. 724. Nam totus ad Virgilianum locum in Georg. lib. II. v. 458 sq. compositus est (v. p. 27.). Atqui hic liber a. demum 724. confectus fuit. Ergo tum demum Horatius epodum scribere poterat. Nec scripsit profecto posteriore tempore; siquidem nil magis consentaneum, quam ut et legerit Virgilii opusculum statim post editionem, et vero etiam *recens a lectione* lepidissimam suavissimi loci irrisionem contexuerit. „Quo magis his credas," finge tibi Virgilium in erudito aliquo ingeniosorum et amicissimorum hominum consessu novum librum summo cum auditorum plausu recitantem; tum callidum Horatium cogita eximium suum odarion ex ipso Virgiliani libri exitu dexterrime effictum vultu composito praelegisse. Risum hercle auditorum audies, quin tripudiantes videbis — cum gratissimo se errore deceptos esse, nec seriam imitationem, sed jocosam Virgiliani loci parodiam audivisse mirabundi intelligerent ex ultimis demum verbis:

Haec ubi dixit foenerator Alphius,
Jamjam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam,
Quaerit Calendis ponere.

inprimis si sugillatus ille *Alphius* tunc vixit. Sed quandocunque vixit, famigeratissimus certe foenerator fuit, cujus Columella de r. rust. lib. I. cap. 7. ita meminit: „Nam summum jus antiqui summam putabant crucem. Nec rursus in totum remittendum; quoniam vel optima nomina non appellando fieri mala *foenerator Alphius* dixisse ve-

rissime fertur." cf. Grotef. p. 462. b. — Quodsi igitur de aetate hujus epodi satis liquet, non opus est alia afferre argumenta. Sed faciam tamen. Nam carmen post ann. 720. scriptum esse efficitur tum inde, quod poeta jam villam possedit (v. 41.), tum quod in quibusdam versibus mira est similitudo versuum, qui in satiris tum ortis leguntur. cf. v. 49. et Sat. 2, 4. 32. 8, 27. — v. 50. et Sat. 2, 2. 22. 4, 30. — v. 51. et Sat. 2. et Sat. 2, 4. 65. — v. 57. Sat. 2, 4. 29. —

EPODUS III. *„Parentis olim"* Maecenati dicatus, qui Horatium inter epulas posito allio facete luserat, propter jocularem et familiarem rationem, qua poeta utitur, haud exiguo temporis spatio post quam in Maecenatis amicitiam adscitus est, ergo aliquanto post initium a. 717. scriptus esse debet. Jam cum e vs. 19 sq. appareat Maecenatem etiam tum caelibem fuisse, nec dum adamasse Terentiam, siquidem puella cum eo in convivio discumbens non facile convenit marito, recte observante Kirchn. quaest. p. 28. §. 52. — non igitur audiendus Schol. Acron, qui tacentibus caeteris solus retulit v. 22.: „Quidam volunt Terentiam concubinam Maecenatis eum significare voluisse." — epodus nequit post a. 720. exaratus esse, quo Maecenas Terentiae amore jam percussus fuisse videtur, etiamsi eam nondum in matrimonium duxerit. cf. epod. 14, 13. et Weich. p. rel. p. 460.

Nescimus quando Terentia Maecenati nupserit, sed nupserat jam a. 725., ut patet ex od. 2, 12. 13. (cf. Weich. p. rel. p. 462 sq.) et divinationis adjumento probari potest, Maecenatem post a. demum 720. nuptias celebrasse. Res haec est. Caesar Octavianus, quem Terentiae amore semper flagrasse constat, deperibat eam a. 720. cf. Weich. p. rel. p. 471. not. 51. Nam illo fere tempore Antonius Octaviano inter alia stupra illicitum *Terentillae* alicujus amorem objecit in epistola, quam Sueton. Octav. 69. servavit. Haec autem Terentilla haud dubie intelligenda est Terentia, quae postea Maecenatis uxor facta. Eamque ob ipsam nominis terminationem probabile est tenera admo-

dum aetate fuisse, cum Antonius epistolam scriberet, et Caesaris amori indulsisse antequam Maecenati nuberet. Hinc puellari assuefacta proterviae ac lasciviae parum casta et fida uxor erat, nec exiguam conjugi creabat curam et sollicitudinem. Apparet autem Maecenatem post a. demum 720., fortasse alta domo in Esquiliis perfecta, ut conjecit Kirchn. quaest. p. 28., i. e. anno 721. vel 722. Terentiam duxisse uxorem. Jam cum epodum 3. verisimile sit ante scriptum esse quam Maecenas nosset pulcherrimam suam sponsam: *jure eum ad ann. 719. aut 720. retuleris.* Ea aetate Horatius apte poterat in transcursu vellicare Canidiam v. 7. „*an malas Canidia tractavit dapes?*" nam fusius ei insultaverat in epod. 5. et sat. 1, 8. ad ann. usque u. c. 718. scriptis. — Weich. p. rel. p. 454. not. 42. epodum a. 717. adscripsit; Kirchn. quaest. l. l. a. 721.; Passov. not. 183. a. 723.; Grotef. p. 462. b. anno 719.

EPODUS IV. „*Lupis et agnis*" confectus est *medio a. 716.* Quam rationem post doctas Massoni disputationes (vit. Hor. p. 107 sq.) ex recentioribus plausu suo confirmarunt Kirchn. quaest. p. 5. §. 9. et p. 20. §. 39—40., Weichert. p. rel. p. 444., Grotef. p. 460. a., Obbar. in Seeb. Jahn. et Klotz. annal. vol. XV. p. 65. vol. XVI. p. 49.; reliquerunt vero Passov. not. 183., Doering., Braunhard. — Aetatis adminiculum praebent v. 17—20.:

Quid attinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere
Contra latrones atque servilem manum,
Hoc hoc tribuno militum?

In his enim belli navalis apparatum respici, quem Octavianus a. 716. adornavit contra Sex. Pompejum, qui rupto foedere Misenensi, quod a. 715. factum erat (Dio 48, 36.), Italiae oras classe sua denuo infestabat, patet inde, quod copiae maritimae et terrestres Pompeji, quas ingenti piratarum ac servorum undique collectorum numero suppleverat [1]), perspicue designantur „*latronum et servilis manus*"

1) cf. Dio 48, 19. fin. Appian. b. civ. 4, 85. Vell. 2, 73. Flor.

nominibus. Atqui ipse Caesar, qui non adjutus ab Antonio solus bellum susceperat a. 716., sed magno detrimento accepto — cum bis classis in freto Siculo periisset — mari abstinere coactus erat (Dio 48, 47. Appian. b. c. 5, 81—91.), a. 717., quo novam classem parabat (Dio 48, 49.), viginti servorum millia manumisit et ad remum dedit (Sueton. Oct. 16.). Ergo Horatius hunc epodum, in quo magna cum indignatione Pompejanas copias tangit, non potuit scribere nisi ante a. 717. Alioquin eadem injuria Caesaris copias affecisse visus esset. De tempore igitur satis liquet. Sed litigant, quis fuerit *„sectus ille flagellis triumviralibus Praeconis ad fastidium"* (cf. Sueton. Oct. 13. ibiq. Casaub. ed. Wolf. vol. IV. p. 250.), quem poeta amarulentis his jambis proscidit. Hunc veteres Scholiastae ad unum omnes testantur fuisse *Menam* sive Menodorum, aut Sex. Pompeji (Dio 48, 30. App. b. civ. 5, 81.) aut Cn. Pompeji Magni (Vell. Pat. 2, 73. Schol. Acr. Porph. et Cruq.) libertum, qui Sex. Pompeji classi praefectus egregii quidem ducis laude clarus fuit sed a perfidia famosus. Nam cum Sardinia occupata Sex. Pompejo propterea factus esset suspectus, quod et alios captivos et Helenum quendam, Caesaris libertum, dimiserat *ἄνευ λύτρων* (Dio Cass. 48, 30. 45.), *καὶ ὅτι καὶ τῷ Καίσαρι ἐκεκοινολόγητο — καί πῃ καὶ ὑπὸ τῶν ὁμοίων φθόνῳ τῆς δυναστείας διεβλήθη* — (Dio 48, 45. cf. App. b. civ. 5, 78.), evocatus ab eo non solum non obedivit dicto, sed etiam Sardiniam, classem, exercitum seque ipsum occisis Pompeji legatis tradidit Octaviano a. 716. Ab hoc libentissime exceptus et ita honoratus est, ut aureis anulis condecoratus in equestrem ordinem adscriberetur (Dio 48, 45.). Nihilominus tamen ad Sex. Pompejum a. 718. rediit (Dio 48, 54.). Sed eodem anno rursum descivit ad Octavianum (Dio 49, 1.) et pe-

---

4, 8. Monument. Ancyran. tabula II. a dextra, init. (Sueton. ed. Wolf. vol. I. p. 374.): „Mare pacavi a praedonibus. Eo bello servorum qui fugissent a dominis suis et arma contra rempublicam tulerunt, [trigi]nta fere millia capta dominis ad supplicium sumendum tradidi sc. 718.)"

riit tandem in Sisciae, Pannoniae urbis, obsidione a. 719. (Dio 49, 37.).

Hujus igitur *Menae* superbam insolentiam, ambitionem, jactationem Scholiastae affirmant Horatium risisse. Quorum auctoritatem temere spreverunt plerique (Masson. p. 119 — 124., interpret., Kirchn. quaest. p. 21. §. 40.), rectissime vero hic quoque tuitus est post Carol. Feam *Weichertus* in poet. rel. p. 444. Nam primum plane improbabile est Scholl. narrationem ex sola conjectura vel potius commento fluxisse. Deinde mire convenit tempus. Nam ipso a. 716., quo epodum exaratum esse vidimus, Menas ab Augusto cum aliis honoribus affectus, tum in equestrem censum relatus est, ita ut poeta pristinam ei ignobilitatem et servitutem exprobrans in equitem recens factum salsissime ita posset invehi v. 15.:

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.

Denique nimis levia sunt argumenta, quibus fulti Menam intellectum esse ab Horatio infitias eunt. Menam negant potuisse insigniri „*tribuni militum*" nomine, quoniam pridem classi Pompejanae et duabus insulis Corsicae et Sardiniae cum tribus legionibus praefectus (App. b. c. 5, 78.) tribuniciam dignitatem non leviter excesserit et ab Octaviano non tribunus sed legatus factus sit (App. 5, 80. *ὑποστρατηγοῦντα τῷ ναυάρχῳ Καλουισίῳ*). Recte quidem et ad fidem historicam. At enim de pristina Menae dignitate, qua a. Sex. Pompejo ornatus erat, plane nequit cogitari, quia Horatius aperte *tribunum militum Octaviani* carpsit. Menas autem aut revera fuit tribunus militum, cum haec scriberet poeta, et postea demum majorem dignitatem adeptus est, aut cum contemptu eo titulo insignitur aut parum accurate. Certe quod de honoribus tribuni militum Menae nil scimus, inde nulla potest caussa peti, qua eum hoc in carmine sugillatum esse neges. Quin verisimile fit Horatium de industria parum accurate locutum esse, quo magis tectus ille homo lateret. Deinde injuria haeretur in eo, quod infamis Menae perfidia ne verbo quidem memorata sit. Nam a. 716. primum a Pompejo ad Octa-

vianum desciverat — id quod nequaquam tum probro ei dari poterat, nec nos miraremur, nisi posteriore tempore rursum fuisset perfidus. Verendum insuper erat poetae, ne facta perfidiae mentione nimis laederet Octavianum Menae amantissimum. Denique quod nil de servilibus poenis, quibus Menas affectus fuerit (v. 3.), compertum habemus, id vereor ne omnium minime Scholl. fidem elevet. Potest certe affectus esse. Credulus igitur veteribus interprett. accedo. Probaverim etiam Torrentii sententiam, qui Menae historiam respectam esse conjecit in od. 3, 16. 15.: „Munera navium Saevos illaqueant duces."

EPODUS V. *„At o deorum"* chorum ducit eorum carminum, in quibus *Canidia* sive *Gratidia* Neapolitana diffamata est. Cf. Buttm. Mythol. vol. I. p. 332., Weich. p. rel. p. 415., Jahn. edit. p. 246. et Kirchn. quaest. p. 25 sq. §. 47. sq. — Nam et antecessit epodum 17., in quo probra mulieri isti objecta respiciuntur (cf. ep. 5, 5. 17, 50. — 5, 38. 17, 80. — 5, 46. 17, 78.), et vero etiam satiram libri I. octavam, siquidem in epod. 17. vers. 56—59.:

„Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?
Et Esquilini pontifex venefici
Impune ut urbem nomine impleris meo?"

non aliam ob caussam *primo* epodum 5., *tum* satiram 8. respectam esse verisimile est, nisi quod utrumque carmen hoc ordine scriptum erat. Accedit quod argumentum epodi 5. in multo priora tempora cadit, quam satirae 8. — Nam res, de qua in epodo agitur, non Romae sed Neapoli (cf. Schol. Porphyr. ad v. 43.: „Videtur significare scelus hoc Neapoli factum, nam ut supra diximus Gratidia haec Neapolitana fuit."), non Horatio sed Varo nescio cui (v. 73.), non eo tempore, quo scriptum carmen, sed pridem, cum Neapoli Gratidia viveret, gesta est. Quare convenit mihi cum Kirchn. quaest. p. 26. §. 49. Jam cum satira 8. a. 718. orta sit, probabile fit hunc epodum aut eodem aut antecedente anno exaratum esse. Non autem posse de priore tempore cogitari inde mihi liquet, quod, quamquam poeta per plures annos Canidiam contu-

meliosis versibus proscidit, gravissimae tamen inimicitiae in unum potissimum tempus incidisse videntur, ita ut carmina, in quibus Canidia deridetur, temporis cognationem habere contendam. Quodsi ab a. 717. aut 718. eam carpsit et ludibrio habuit, per sex fere annos id fecisse videtur. Nam a. 720. anilis mulieris nomen recurrit epod. 3, 8. et a. 724. in Sat. 2, 8. 95. et 2, 1. 48. Tum demum laborum ac miseriarum quietem cepit! Tum demum Horatius ei parcere coepit, et in gratiam quodammodo cum ea rediit scripto epodo 17. Sed hoc de conjectura statuo nec obtrudo cuiquam. Certum est epodum 17. etiam satira 8. posteriorem esse (cf. ep. 17, 47. 48. 58. 59. et v. 76—79. cum Sat. 1, 8. 30 sq.). — Kirchner. epod. 5. a. 720., Grotefend. p. 460. b. hunc et 17. a. 715. assignarunt, Passov. not. 183. p. LXXIII. utrumque post ann.723. scriptum esse contendit.

EPODUS VI. *„Quid immerentes“* incertae aetatis est. Nec constat, in quem scriptus sit. Non enim posse intelligi *Cassium Severum*, insignem oratorem, sed hominem maledicentissimum — ut Scholl. voluerunt — inde patet, quod is eo tempore, quo Horatius jambos scripsit, vix pueritiam excesserat, siquidem teste Euseb. chron. anno demum u. c. 786. defunctus est. cf. Kirchn. quaest. p. 24. et Obbarius in Seeb. Jahn. et Klotz. annal. a. 1836. vol. 16. p. 49. — Scholiastarum auctoritati cesserunt post Cruq., Torrent., Bentlejum ad Sat. 1, 3. 82., Sanad., Dacer. et Jahnium doctissimi viri Weichert. de Var. et Cass. p. 208. et Car. Passov. vit. not. 183. p. LXXII sq., diffisi sunt reliqui interpretes. Kirchner. quaest. p. 25. de *olente Maevio* (epod. 10.) cogitat, et Grotef. de *Bavio* (Virg. ecl. 3, 90.). Kirchn. p. 24. epodum an. 720., Grotef. p. 461. a. anno 716. scriptum arbitrantur. —

EPODUS VII. *„Quo quo scelesti“* per ann. 722. scriptus esse videtur, h. e. eo tempore, quo Octavianus, cum jam Sex. Pompejum superasset et Lepidum exuisset dignitate, novum bellum contra Antonium parabat. cf. Kirchn. quaest. p. 22., Grotef. p. 465. b., Passov. n. 100. —

EPODUS VIII. „*Rogare longo*" nescio an vel ob pudendam proterviam, qua usus est poeta, ad antiquissimos referendus sit. Scriptus videtur esse sub id tempus quo satira I, 2., ergo a. 714. Nam permira inter utrumque poema intercedit similitudo singulorum. cf. Sat. 1, 2. 81. et epod. 8, 13. — Sat. v. 70. et ep. v. 11. — Sat. 86. et epod. v. 8. etc. — Kirchn. q. §. 46. p. 25.: 715. Grotef. p. 461. a.: 716.

EPODUS IX. „*Quando repostum*" in fine a. 723. compositus est, cum primus de Actiaca victoria nuntius Romam perlatus esset. v. 1. et 2. 17. 37. Sex. Pompeji anno 718. devicti mentio fit v. 8 sq.; deinde in Antonium, qui oblitus paene Romanae virtutis turpiter se Cleopatrae emancipaverit, indignabundus invehitur, ita tamen, ut toti simul ejus exercitui probro det, quod soli Antonio tribuendum fuit, v. 11—15:

Romanus eheu! posteri negabitis,
Emancipatus feminae,
Fert vallum et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest!

Cum fructu leges, quae scripsit Dio Cass. 50, 5. 24. 25. — cf. Mass. vit. p. 146. Kirchn. p. 21. Grotef. p. 466. a. Weich. de Var. et C. p. 372.

EPODUS X. „*Mala soluta*" in Maevium poetam scriptus nullam aetatis notam continet. A Weicherto tamen in poet. rel. p. 317. assignatur a. 723.; a Kirchn. quaest. p. 23. §. 43. a. 720.; a Grotef. p. 461. a. anno 716. — Quotus autem quisque credet? Equidem nulli credo. Cautior est Passov. vit. not. 183. De *Maevio* Schol. Ovid. Ib. 511. (ed. Merkel. p. 471.) haec prodidit memoriae: „Mevius poeta, quia male descripsit Atheniensium gesta, ab eis in carcerem positus est, ubi eum fame mori fecerunt et libros ejus deleverunt."

EPODUS XI. „*Petti nihil me*" biennio post epod. sequentem exaratus est, ut patet e comparatione vs. 5.

cum epod. 12, 14. Neuter tamen aetatem prodit certis indiciis. Sed quae ab initio epod. 11. leguntur:

Petti, *nihil me, sicut antea,* juvat
Scribere versiculos Amore percussum gravi:
Amore, qui me praeter omnes expetit
Mollibus in pueris aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo destiti
Inachia furere, silvis honorem decutit.,

ea documento mihi sunt, carmen in id tempus incidere, quo sat. 2, 3. exarata est, i. e. in Decembr. anni 721. Nam in satira quoque poeta Damasippum sibi exprobrantem fecit desidiam, scribendi pigritiam (v. 1. 14.) et *mille puellarum, puerorum mille furores* (v. 325.). Certe per ann. 720. aut. 721. epodus scriptus esse debet, ut recte vidit Grotef. p. 463. a., qui eum ad a. 720. retulit. — Kirchn. quaest. p. 25. §. 46. 717. — Caeterum versum 6. Virgilius videtur imitatus esse in Georg. 2, 401.:

Frigidus et *silvis* aquilo *decussit honorem.*

EPODUS XII. „*Quid tibi vis*", qui pariter atque octavus in Scholiis nonnullis ad Canidiam scriptus esse perhibetur, praecedentem antecessit biennio. Hinc per annos 718. et 719. compositus esse videtur. Kirchn. quaest. p. 25. §. 46.: 714. Grotef. p. 461. a.: 717.

EPODUS XIII. „*Horrida tempestas*" refertur a Massono (vit. p. 130.) et Passov. (vit. not. 100. 183.) ad ann. 721.; a Kirchn. (quaest. p. 23. §. 42.) ad ann. 722.; a Grotef. p. 468. a. ad ann. 720. et 721. et p. 463. b. ad diem natalem Horatii ann. 720. (ob. v. 6.). Mihi nil liquet. Vix certi quid extricaveris e vers. 7. et 8.: „Caetera mitte loqui" caet.

EPODUM XIV. „*Mollis inertia*" Maecenati inscriptum haud dubie eadem tempestate lusit poeta, qua scripsit epod. 11. „*Petti nihil me*" et satir. 2, 3. „*Sic raro scribis.*" Nam in hoc quoque se amore gravi percussum esse et improbae Sireni desidiae indulgere significavit v. 1.

(*„Mollis inertia* cur tantam diffuderit imis Oblivionem sensibus") et v. 6. („Deus, deus nam me vetat."). Quare equidem hanc eclogam per ann. 721. et 722. exaratam esse censeo, praesertim cum jam satis arta inter Maecenatem et Horatium familiaritas intercesserit, et carmen *olim* promissum memoretur v. 7. — Atque huic tempori conveniunt, quae in exitu carminis leguntur:

Ureris ipse miser; quodsi non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua. —

In his enim Terentiam intelligendam esse, Maecenatis sponsam vel uxorem, contestantur Scholl. *Acron* ad v. *pulchrior:* „qoud gratificans dicit Terentiae, quam amavit Maecenas." *Porph.* ad. v. *ureris.*: „Maecenati hoc dicit, quia et ipse Terentiam dilexit, cujus et supra sic meminit (epod. 3, 21.): *Manum puella savio* caet." *Porph.* ad v. *pulchrior:* „in honorem Maecenatis gratificatur Terentiae, Helenae eam comparans." — Schol. *Cruq.*: „si Helena, quae fuit caussa incendii et subversionis Trojae, non fuit speciosior quam Terentia, quam deperis, illa utere et gaude fato tuo, quo nactus es puellam tam pulchram." — Quae si vera est Scholl. narratio — verissima autem est; nam verba: *gaude sorte tua* de legitima tantum uxore sponsave intelligi possunt — vix dubites quin Horatius blandam Terentiae mentionem tum fecerit, cum vel sponsa esset Maecenati, vel *recens* nupta. Atqui per ann. 721. et 722. Maecenas eam in matrimonium duxit (cf. ad epod. 3.). Ergo probabile fit Horatium tum, cum Maecenas ardenti uxoris adolescentulae honestaeque amore captus esset, necdum zelotypia maceraretur, cecinisse hoc carmen, quo Terentiae et Maecenatis auribus blandiretur. Kirchn. quaest. p. 27. §. 52—53. epodum a. 721. factum esse statuit; Weich. p. rel. p. 461. a. 720.; Grotef. p. 466. ann. 725. (ob. v. 8.), probante Obbario in Seeb. Jahn. et Klotz. annal. 1836. vol. 16. pag. 49.; Passov. not. 28. 183.: 719—21.

EPODUM XV. *„Nox erat"* Kirchner. in quaest. p. 28. §. 53. recte ut videtur in ann. 721. constituit. Nam

eodem eum temporis tractu scriptum esse probabile, quo Horatius omnis generis amoribus se implicitum significavit aliquoties. cf. epod. 11. 14. sat. 2, 3.

EPODUS XVI. *„Altera jam teritur,"* qui Schol. *Acrone* auctore (ad v. 1. *„altera, quando Antonius dimicavit contra Augustum."*) post Massonum (vit. Hor. p. 138.) a plerisque ad bellum Actiacum anni 723. refertur, vel a Mitscherl., Grotef. p. 465. b. (722.) et Passovio (not. 183.), manifesto ortus est *anno u. c.* ***713.*** sub initium ***belli Perusini***, cum miserrimus et vere deplorandus rerum status tum Romae tum tota Italia esset. Cf. Appian. b. civ. 5, 18—49. Dio Cass. 48, 9—15. Quam rationem post Nitschium et Vanderburgium pluribus exornavit et comprobare studuit Kirchner. in quaest. p. 21 sq. §. 41., recte plaudente Obbario in Seebod. Jahn. et Klotz. annal. vol. 16. p. 49. Sane vulgaris illa ratio ineptissima est. Quis tandem sibi persuadeat, Horatium a. 722. aut 723., quo intima Maecenatis familiaritate frueretur, quo Octaviano jam faveret, quo villam jam possideret, quo vitae urbanae deliciis plus justo paene assuefactus esset, non solum de patriae salute plane desperasse, sed etiam consilium proposuisse sedem regni alio transferendi et novam patriam quaerendi? Quis eum credat illo tempore scripsisse v. 63 sq.:

„Juppiter illa piae secrevit litora genti,
Ut inquinavit aere tempus aureum:
Aerea dehinc ferro duravit saecula, quorum
Piis secunda vate me datur fuga."?

Cogita modo, quam diversa sit animi affectio poetae, qua scripsit ann. 723. epod. 1. ab ea, qualis ex hoc epodo elucet. *„Libenter"*, inquit epod. 1, 23.:

„Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuae spem gratiae" caet.

Lege modo Sat. 2, 3. et 2, 6.! tum credo persuasus eris. —

Caeterum huc pertinere arbitror, quae in Scholl. Acronis leguntur ad od. 1, 14. 1.: *„Secundum* autem civile bellum inter Augustum Caesarem et Cassium et Brutum

fuit, qui fuerunt C. Caesaris interfectores, sub quibus Horatius militavit."

EPODUS XVII. *„Jamjam efficaci"* post epod. 5. et Sat. 1, 8. evidenter compositus (cf. quae dixi de ep. 5.), omnium epodorum novissimus mihi videtur esse. Horatius enim libellum evulgaturus ironica hac palinodia sive deprecatione emollivit quodammodo et in lusum vertit contumeliosa et acerba illa carmina, quae Archilochica rabie in misellam Canidiam fuderat, quo certius non solum insidiosae malevolentiae crimen, sed etiam iras hominum atque odia devitaret. Quocirca hoc carmen jam supra significavi a. circiter 724. scriptum eodemque tempore cum caeteris foras datum esse. Facile tamen aliquis vs. 21 — 24.:

„Fugit juventas et verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida,
Tuis capillus albus est odoribus,
Nullum a labore me reclinat otium,"

eo se passus fuerit adduci, ut epodum ante ann. 729. scribi potuisse neget, ut quo poetae capilli canescere coeperint (cf. pag. 60.). Eaque res in caussa fuisse videtur, ut Weich. p. rel. p. 454. not. 42. Epodon editionem in ann. 729. conferret. Sed habeo quo commendem meam sententiam. Primum incertum est, utrum poeta revera se aetate provectiorem significare voluerit, an lepide finxerit juvenilem vigorem et ruborem Canidiae arte magica et incantationibus fugisse. Deinde cum nulla epodon ecloga post ann. 724. scripta sit, improbabile est epodum 17. solum magno temporis spatio a reliquis sejunctum et totum librum brevi ante carminum editionem divulgatum esse. Denique incredibile est Horatium ad ann. usque 729. h. e. per quindecim fere annos Canidiae insultasse. Eo tempore pridem a contumeliosis jambis scribendis abstinuerat. Canidia fortasse jam demortua erat. Certe ira, qua eam juvenili ardore abreptus prosciderat, dudum videtur deferbuisse, siquidem ne inimicitiarum quidem ullum vestigium ultra ann. 724.

Haec omnia me permovent, ut natales epodi 17. revera in ann. 724. vel init. sequentis incidisse dicam. — Kirchn. quaest. p. 27. §. 50. eum anno 722. assignavit.

Cap. IV.

De temporibus quibus libri I. carmina scripta sint.

Venimus ad carmina. Quorum in recensione ita versabimur, ut in eorum tantum aetate exploranda elaboremus, quae temporum indicia vel certa vel dubia continent. Reliqua intra annos 724. et 730. scripta esse puta.

CARMEN II. „*Jam satis terris*" largam praebet disputandi materiem eoque magis implicatam, quo plura temporis adminicula subministrare videtur. Ante omnia consilium poetae, quo carmen scripserit, investigemus necesse est. Nemini autem sententiarum seriem et nexum accurate pensitanti dubium erit, quin *in honorem Caesaris Octaviani* factum sit, qui bellis civilibus modo ad finem perductis labentem civitatem erexerit et instantem perniciem et ruinam tanquam deus tutelaris averterit. Satis superque, inquit, poenas dedimus diis, quippe tum naturae vi, grandine, fulminibus, inundationibus (v. 1 — 20.), tum bellorum civilium furore in summam miseriam dejecti (21 — 24.). Quem deum, ut haec mala tandem aliquando a nobis avertat et scelera nostra expiet, invocabimus? Num Apollinem? an Venerem? an Martem? an Mercurium, qui Octaviani personam in terra induit (25 — 44.)? Tu, Caesar, civitati Romanae vere deus averruncus venisti! Utinam sero in coelum, patriam tuam, redeas, diuque sub Patris et Principis nomine triumphorum splendore honora-

tus et hostibus metuendus inter nos commoreris (usq. ad fin.)! — In his me vides cum interpretibus consentire, nisi quod naturae prodigia (v. 1—20.) non *indicia* bellorum civilium sed *supplicium Romanis datum* ab Horatio intellecta esse puto. Hanc interpretationem solam esse veram probant vs. 17 sq., in quibus Tiberis amnis dicitur *ultor* uxoris suae Iliae sive Rheae Silviae [1]), quae necem Caesaris cognati sui lugebat. Idque probe intellexerunt Scholiastae, quorum *Acron* ad v. 1.: „C. Caesaris mortem significat, quo in senatu occiso plurimae tempestates, nives et grandines fuerunt, quo tempore et inundatione Tiberis dicitur Roma laborasse, *quod propter Caesarem in honorem Augusti Caesaris, ultoris ejus, vult factum videri.* Nam de ipso et Virg. (eclog. 5, 20.): *Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin flebant*, et alibi (Georg. 1, 466 sq.): *Ille etiam exstincto miseratus Caesare Romam.* Haec enim omnia i. e. fulmina, grandinem, diluvii metum intelligit, vult *vindictam Caesaris* fuisse." — *Porph.*: „post

1) Ilia sive Rhea Silvia hoc tantum loco et apud Claudian. cons. Prob. 224. uxor Tiberis fingitur, vulgo Anienis. *Acron* ad. v. uxorius amnis.: „diversae de Ilia poetarum opiniones sunt; nam Ilia mater fuit Romuli, quem ex Marte suscepit, quae mortua sepulta ad ripam Anienis fluvii dicitur, qui in Tiberim cadit et quia abundans aquis Anio cineres Iliae in Tiberim deduxit, ita dicta est Ilia Tiberi nupsisse, et ideo dixit *uxorius amnis*, qui se ad ejus querelam jactaret ultorem. Alii dicunt, quod ipsa Ilia Anieni nupserit, nam poetae multi hoc sentiunt. Sed Horatius ut Tiberi det caussas irascendi, Tiberis magis dixit uxorem. Uxorius enim dicitur uxori deditus, ut Virg. (Aen. 4, 266.): *pulchramque uxorius urbem exstrues.*" ***Porphyr.*** ad. v. 17. „Ilia *auctore Ennio* in amnem Tiberin jussu Amulii regis Albanorum praecipitata est. Antea enim Anieni matrimonio juncta, atque hic loquitur, quasi Tiberi potius nupserit. *Querenti* autem Iliae caedem Caesaris intelligendum." (Schol. *Acr.* ad v. ***querenti:*** „querelas apud se deponenti de morte Caesaris, hominis suae originis.") — ***Serv.*** ad Virg. Aen. 1, 273.: „Amulius et Numitor fratres fuerunt [filii Procae]. Amulius autem fratrem imperio pepulit et filium ejus necavit; filiam vero Iliam Vestae sacerdotem fecit, ut spem sobolis auferret, a qua se puniri posse cognoverat. Haec, ut multi dicunt, cum peteret aquas ad sacra, repentino occursu lupi turbata refugit in speluncam, in qua a Marte compressa est, unde nati sunt Remus et Romulus: quos cum matre Amulius jussit praecipitari in Tiberim. Tum, ut quidam dicunt, Iliam sibi Anien fecit uxorem, ut alii, *inter quos Horatius, Tiberis;* unde est: *uxorius amnis.*"

occisum C. Caesarem, quem Cassius et Brutus aliique conjurati interfecerant, multa portenta sunt visa, Tiberis etiam crevit, ut prodigii loco haberetur. Haec autem *omnia vult videri facta in ultionem occisi principis* et poenam eorum qui bella civilia agere non desinebant. Quam inundationem Tiberis ad periculum ruinarum alio duxit solum." — Jam vero cum ea omnia, quae affert poeta, pro ea quae tum tenebat hominum animos superstitione a plerisque haud dubie bella civilia *portendere* credita sint: singularis fuerit ratio necesse est, qua ductus Horatius vulgarem opinionem reliquit. Atqui de industria ut videtur Tiberim *ultorem* Iliae, et Octavianum rursum *ultorem* Caesaris dixit. Ergo verisimile fit, eum Julii Caesaris mortem omnium malorum, quae perpessa esset Romana civitas, primariam caussam significare et Octaviano propterea potissimum gratificari voluisse, quod Caesaris *ultor* esset. (Recte Schol. *Cruq.*: „Hanc oden scribit in honorem et gratiam *Augusti ultoris!*") Quo callido artificio non solum bella civilia necessario ex occisione Caesaris fluxisse et omnem malorum culpam in ipsos Romanos conferendam esse ostendit, sed celebrat etiam Octavianum, ut qui scelera expiaverit et conservaverit rempublicam. Inde igitur est quod crebra illa naturae prodigia ab iratis diis in perniciem et supplicium Romanorum immissa esse dixit. Volupe vero est rationem expiscari, qua ductus Horatius Octavianum ipsis verbis dixerit *Caesaris ultorem*. Quid enim? Octavianus ipse se non regnandi cupiditate bella gessisse summumque imperium sibi comparasse sed ut *caedem patris ulcisceretur* et perniciem a civitate averteret, publice affirmavit nescio dicamne an simulavit in oratione quam imperium depositurus anno u. c. 726. in senatu habuit. Audi modo eum dicentem apud Dion. Cass. 53, 4.: „*ἀλλ' ἀφίημι τὴν ἀρχὴν ἅπασαν, καὶ ἀποδίδωμι ὑμῖν πάντα ἁπλῶς, τὰ ὅπλα, τοὺς νόμους, τὰ ἔθνη, οὐχ ὅπως ἐκεῖνα ὅσα μοι ὑμεῖς ἐπετρέψατε, ἀλλὰ καὶ ὅσα αὐτὸς μετὰ ταῦτα ὑμῖν προσεκτησάμην. ἵνα καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων καταμάθητε τοῦθ', ὅτι οὐδ' ἀπ' ἀρχῆς δυναστείας τινὸς ἐπεθύμησα, ἀλλ' ὄντως τῷ τε πατρὶ δεινῶς σφαγέντι τιμωρῆσαι,*

καὶ τὴν πόλιν ἐκ μεγάλων καὶ ἐπαλλήλων κακῶν ἐξελέσθαι ἠθέλησα", et lib. 53, 9.: „*ὁ δὲ δὴ τολμήσας ἀποκτεῖναί με πάντως που καὶ ὑπὸ τοῦ δαιμονίου καὶ ὑφ' ὑμῶν κολασθήσεται, ἅπερ που καὶ ἐπὶ τοῦ πατρός μου γέγονεν. ἐκεῖνος μὲν γὰρ καὶ ἰσόθεος ἀπεδείχθη, καὶ τιμῶν ἀϊδίων ἔτυχεν· οἱ δ' ἀποσφάξαντες αὐτὸν κακοὶ κακῶς ἀπώλοντο.*" Immerito haec omnia ab historico ficta esse dixeris. Conveniunt Octaviani indoli et partibus quas eo tempore egit. Audi Ovidium in fast. 5, 569 sq.:

„Voverat hoc juvenis tunc, cum pia sustulit arma.
A tantis Princeps incipiendus erat.
Ille manus tendens, hinc stanti milite justo,
Hinc conjuratis, talia dicta dedit:
„Si mihi *bellandi pater* est, *Vestaeque sacerdos Auctor*, et *ulcisci numen utrumque* paro;
Mars, ades, et satia scelerato sanguine ferrum:
Stetque favor caussa pro meliore tuus.
Templa feres, et me victore vocaberis *Ultor*."
Voverat; et fuso laetus ab hoste redit."

Apparet igitur, quo jure et quanta dexteritate Horatius scripserit:

„Sive mutata juvenem figura
Ales in terris imitaris, almae
Filius Majae, *patiens vocari*
Caesaris ultor."

Octavianum nuncupans nomine *Mercurii*, ut qui „*Pacis et armorum superis imisque deorum Arbiter*" (Ovid. Fast. 5, 665.) fuit.

Quamquam vero non magnopere premo tempus, quo Octavianus Dione auctore se patris ultorem dixerit: satis tamen vel ex eis, quae de fine carminis hucusque disputavi, liquere arbitror, id circa illud ipsum tempus h. e. post annum 724., cum Caesar Antonio et Cleopatra devictis solus rerum omnium arbiter factus esset, scriptum esse, et quidem per ann. 725—727. Nequit enim post ann. 727., quo Augustus imperium jam sumpserat et ita confirmaverat, ut de „*ruentis imperi rebus*" (v. 25.) et de „*scelerum expiatione*" (v. 29.) nequaquam posset mentio fieri. Quid

multa? apertissimum est eclogam non ita multo post bella civilia compositam esse, quoniam Horatius ea recenti memoria deplorat (cf. v. 21—30. 37—40.).

Sed propero ad accuratiora temporis indicia, quorum in enumeratione ab eo initium faciam, quod gravissimum habent interpretes, equidem pessimum judico. Petitur illud a descriptione tempestatis, quae nive, grandine et fulminibus praeter morem aliquando saeviens *ingentem Tiberis inundationem* effecerit. Talis fuit ann. 710. (test. Scholl.); anno 727. (Dio 53, 20.); 731. (Dio 53, 33.); 732. (Dio 54, 1.); fortasse etiam saepius illo temporis tractu [2]). Sed de his tantum historici. Hinc VV. DD. pro suo quisque arbitrio hanc illamve Tiberis inundationem ab Horatio respectam esse rati odarion aut anno u. c. 711. aut 727. aut 732. assignarunt. Ex quibus ii commemoratione indigni sunt, qui de anno emortuali Julii Caesaris vel de proximo cogitarunt, quo Horatius non Romae sed in Asia versabatur, non Octaviano sed adversariae factioni favebat — praesertim cum fusius eos refutaverit Masson. vit. Hor. p. 41—44. Quare optio datur inter ann. 727. et 732., quorum suum quisque invenit defensorem. Ad *ann. 727.* carmen retulerunt Sanadonus et inter alios Nicol. Mohr. (comment. de nonnullis locis Horatianis. Dorpat. 1832.), Weichert. de Var. et Cass. p. 154., Grotef. p. 467. et 470. b. plaudente Obbario in Seeb. Jahn. et Klotz. annal. vol. 16. p.

2) Constat enim Tiberis diluvia creberrima fuisse. Ita *ingentes aquae* fuerunt ann. 539. a. Ch. 215. (Liv. 24, 9.); ann. u. c. 552. a. Chr. 202. (Liv. 30, 38.); ann. u. c. 561. a. Chr. 193. (Liv. 35, 9.); ann. u. c. 562. a. Chr. 192. (Liv. 35, 21.); ann. u. c. 565. a. Chr. 189. (Liv. 38, 28.); ann. 700. a. Chr. 54. (Dio Cass. 39, 61.); ann. u. c. 741. a. Chr. 13. (Dio Cass. 54, 25.); ann. u. c. 751. a. Chr. 3. (Dio 55, 22.); ann. u. c. 765. p. Chr. 12. (Dio Cass. 56, 27.); ann. u. c. 768. p. Chr. 15. (Dio 57, 14. Tac. Annal. 1, 76.); ann. u. c. 789. p. Chr. 36. (Dio Cass. 58, 26.). cf. Dio Cass. 78, 25. Hinc saepius etiam de remedio coercendi fluminis cogitatum est. Ipse Augustus huic rei operam suam navavit, narrante Suet. cap. 30.: „Ad coercendas inundationes alveum Tiberis laxavit ac repurgavit." caet. — et Tiberio imperante ann. 768. „actum in Senatu ab Arruntio et Atejo, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus, per quos augescit," referente Tac. Ann. 1, 79. —

50. — ad *ann. 732.* post Massonum (vit. p. 233—248.) interpretum recentiorum plurimi, Jani, Mitscherl., Doering., Vanderb., Leps l. l. p. 4., Passov. vit. not. 259. (731.) et Kirchner. in quaest. p. 8. §. 18. Falluntur hi omnes in eo, quod primariam rationis caussam a naturae prodigiis quae commemorantur ducunt et ita ducunt, ut insolitam hujus illiusve anni tempestatem, qualis ab historicis pingatur, ad amussim descriptioni Horatianae respondere demonstrent — plane immemores, nec historicis tali in re fidem habendam esse haberique posse, nec poeticam rerum descriptionem ad veritatem datam esse. Eo minus autem prodigia ista quidquam ad tempora definienda conferre arbitror, quo magis mihi persuasum est, ***Horatium non tempestatem aliquam et Tiberis inundationem descripsisse, quae eo tempore, quo carmen scriptum, accidit, sed ea respexisse portenta, quae Julii Caesaris mortem secuta sunt anno 710.*** Quod rectissime me judice Scholiastae observarunt [3]). Concedo poetam dira aliqua tempestate, quae praeter modum cum magna hominum rerumque strage saeviiset, eo adductum esse, ut hoc carmen suo in genere prorsus singulare componeret. Nec ita pertinax sum in explicandis vs. 1—11. At nunquam eripi mihi patiar, vs. 14 sq. de magnis aquis, quae per ann. 710. 11. fuerant, intelligendos esse. Primum enim si verum est quod supra dixi, totum carmen in honorem ***Octaviani, patris ultoris,*** scriptum esse, pleraque per se consentaneum est ad J. Caesaris occisionem tanquam ad communem rerum cardinem relata esse. Tum manifesto appa-

---

3) Recte Grotefend. p. 467. a.: „Was nun die Missdeutung des Anfanges jener Ode betrifft, so hat man nicht beachtet, *dass Horaz nicht Prodigien Einer Zeit oder Eines Ortes aufzählt,* sondern die furchtbaren Naturerscheinungen verschiedener Jahreszeiten, Schneemassen, Hagelschauer, Blitzschläge und Wasserfluthen des ganzen Erdenrundes sowol als der Hauptstadt aus der Vergangenheit, welche nicht bloss den Umsturz des röm. Staates, sondern der Welt Untergang und aller Völker Vernichtung drohten, aufführt, ehe er daran die grosse Ueberschwemmung knüpft, welche er durch das Wort *„vidimus"* als das einzige prodigium der Gegenwart bezeichnet." caet. Sed de Tiberis exundatione secus statuo.

ret Iliam *nimium querentem* cogitari *brevi post necem Caesaris,* et circa id ipsum tempus amnem Tiberim significari ei ultorem venisse. Deinde sententia mea nescio an maxime fulciatur eo, quod Virgil. in Georgic. I. vs. 466 sq. prorsus eadem ratione qua Horatius a mentione occisi Caesaris prodigiorumque quae secuta sunt in laudem Octaviani incidit. Parum dixi. Tam mirus sententiarum verborumque consensus est, ut Virgilianum locum Horatio obversatum esse contendam. Id rursum sagacissime olfecerunt Scholl. *Acron* et *Cruq.* ad v. 1. indicantes Mantuani vatis versus. Judica ipse! Enumerat Virgilius a v. 466—489. prodigia quae Caesaris mortem secuta sint, (Horat. od. 1—20.) his inter alia usus verbis:

„Solem quis dicere falsum
Audeat? Ille etiam caecos instare tumultus
Saepe monet, fraudemque et operta tumescere bella.
Ille etiam *exstincto* miseratus *Caesare* Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
Tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti,
Obscoenique canes importunaeque volucres
Signa dabant." — — —

v. 481. „*Proluit* insano contorquens vertice silvas
Fluviorum rex *Eridanus,* camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit." —

v. 487. „*Non alias coelo ceciderunt plura sereno*
Fulgura, nec diri toties arsere cometae."

Tum plane ut Horat. (a v. 21—24. „*Audiet cives acuisse ferrum* caet.) ad bella civilia transit v. 489—497.:

„Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi,
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Emathiam et latos Haemi pinguescere campos."

Nosti Horatium a v. 25. ad deos preces fundere et in Octaviani laudes erumpere. Quid Virgilium fecisse existimas? Profecto non fortuito accidit, quod a v. 498. ita perrexit:

„Di patrii, Indigetes et Romule Vestaque mater,
Quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,
Hunc saltem everso juvenem succurrere saeclo
Ne prohibete. S a t i s j a m pridem sanguine nostro
Laomedonteae luimus perjuria Trojae.
Jam pridem nobis coeli te regia, Caesar,
Invidet, atque hominum queritur curare triumphos."

Denique illa ipsa prodigia, quae brevi post Caesaris mortem evenerant, ita omnibus cognita erant tantamque celebritatem nacta, ut a poetis illius aetatis pariter atque ab historicis creberrime tractarentur. cf. Tibull. 2, 5. 71. Ovid. Metam. 15, 782. Dio Cass. 45, 17.: „*ἔκ τε γὰρ τοῦ πολέμου ἐν χερσὶν ὄντος καὶ ἐκ τεράτων, ἃ πλεῖστα καὶ ἐξαισιώτατα ἐγεγόνει, ταρασσόμενοι, οὐδὲ τῆς ἀποφράδος, τὸ μὴ ἐν ἐκείναις βουλεῦσαί τι τῶν συμφερόντων σφίσιν, ἀπέσχοντο. κεραυνοί τε γὰρ παμπληθεῖς ἔπεσον, καί τινες αὐτῶν καὶ ἐς τὸν νεὼν τὸν τῷ Διῒ τῷ Καπιτωλίνῳ ἐν τῷ Νικαίῳ ὄντα κατέσκηψαν. — καὶ ἰχθῦς ἐκ τῆς θαλάσσης ἀμύθητοι κατὰ τὰς τοῦ Τιβέριδος ἐκβολὰς ἐς τὴν ἤπειρον ἐξέπεσον.*" cf. Dio Cass. 46, 33. Plut. Jul. Caes. p. 740. Plin. h. n. 2, 30. Nusquam quidem fateor memoratur Tiberis inundatio, quae ann. 710. aut 711. fuerit, ab historicis. Solaque hujus rei fides penes Scholiast. est. Neque tamen eos commentos esse ea quae tradunt dixerim, ut qui haud dubie antiquioribus libris uterentur. Et cum de Tiberis inundationibus, quae ann. 727. et 732. factae sunt, nequeat cogitari — ut infra videbimus: eo lubentius Scholiastarum amplector sententiam, quo verius illi carmen non per ann. 710. 11., sed post bella civilia demum exaratum esse judicaverunt. Ita enim Schol. *Porph.* ad v. 30.: „Conversus ad Apollinem, qui Actiaco bello Antonium oppressit. Virg. (Aen. 8, 704.): *Haec cernens arcum intendebat Apollo.*" et ibid. Schol. *Cruq.*: „Convertitur ad Apollinem in gratiam Augusti. Is enim bello Actiaco Antonium oppressit."

Pergamus ad reliqua. In fine carminis leguntur haec:
Serus in caelum redeas, diuque
Laetus intersis populo Quirini,

Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat; hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater atque Princeps,
Neu sinas Medos equitare inultos
Te duce, Caesar!

Ex his liquet mihi, *odam anno u. c. 725.* scriptam esse — id quod pridem viderunt T. Faber et Dacer. Animum adverte ad singula. Quod primum dicit „*Serus in c. r.*" id nequaquam cogit, ut de morbo Augusti, quo a. 730. correptus fuerit, cogites — ut sibi persuasit Vanderb., sed optatio est rei naturae quam maxime consentanea, praesertim cum Octavianus semper fere parum firma valetudine fruitus sit. In eadem oratione, in qua se patris ultorem dixit, hujus quoque rei mentionem fecit auctore Dione Cass. 53, 8.: „*αὐτός τε γὰρ καὶ πεπόνημαι καὶ τεταλαιπώρημαι, καὶ οὐκέτ' οὔτε τῇ ψυχῇ οὔτε τῷ σώματι ἀντέχειν δύναμαι.*" — Quae sequuntur verba: „*Neve te nostr. vitiis iniq. o. a. t.*" certo docent carmen non ante a. 725. compositum esse, quippe quo Octavianus cum Agrippa morum magisterium subiit (Dio 52, 42. interpr. ad 53, 1. (Strz. vol. VI. p. 59. not. 7.) Dio 54, 10. Sueton. Octav. 27. fin.), id quod Horatium respexisse arbitror. — Sequuntur clariora. Magnos triumphos poeta *optat* Octaviano. Quos non optasset opinor, si post triplicem triumphum anno 725. medio actum haec scripsisset. Hujus haud dubie honorificam mentionem injecisset. Jam cum praeterea *optet*, ut ***Patris*** atque ***Principis*** nomen non dedignetur sumere h. e. ut non detrectet summum imperium, denique ut Parthos fortiter propellat: quis est, quin apertum esse dicat, carmen ante Octaviani reditum ex Oriente, quo Parthica composuerat, scriptum esse, et quidem ineunte anno 725., quo splendidissimus ille triumphus a Romanis praepararetur aliique honores ei decernerentur? Eo tantum tempore, quo Octavianus nondum Patris et ***Principis*** nomina assumpserat, Horatius apte canere potuit: „***Hic ames dici Pat. atq. Princ.***", nimirum praesagiens animo, talia summo imperatori, ut olim Julio Caesari, tributum iri. Certe *patris pa-*

triae appellatio indita imperatoribus ἔς τε τιμὴν καὶ ἐς παραίνεσιν, ἵνα αὐτοί τε τοὺς ἀρχομένους ὡς καὶ παῖδας ἀγαπῷεν, καὶ ἐκεῖνοι σφᾶς ὡς καὶ πατέρας αἰδῶνται, ut ait Dio Cass. 53, 18., — in Augustum anni demum 752. initio collata est (Sueton. 58. Tac. Ann. 11, 25. 5. interprett. Dion. l. l. ed. Sturz. vol. VI. p. 78. not. 128.). Julio Caesari decreta erat a. 710. (cf. Dio 44, 4. et 48. fin. Liv. epit. 116.) — *Imperatoris* cognomen assumpsit Octavianus a. 725., narrante Dione lib. 52, 41.: „ταῦτά τε ὁ Καῖσαρ, καὶ ὅσα μοι ἄνω τοῦ λόγου εἴρηται, ἔπραξεν ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ, ἐν ᾧ τὸ πέμπτον ὑπάτευσε, καὶ τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἐπίκλησιν ἐπέθετο. λέγω δὲ οὐ τὴν ἐπὶ ταῖς νίκαις κατὰ τὸ ἀρχαῖον διδομένην τισὶν (ἐκείνην γὰρ πολλάκις μὲν καὶ πρότερον, πολλάκις δὲ καὶ ὕστερον ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥστε καὶ ἓν εἴκοσιν ὄνομα αὐτοκράτορος σχεῖν), ἀλλὰ τὴν ἑτέραν τὴν τὸ κράτος διασημαίνουσαν, ὥσπερ τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ Καίσαρι καὶ τοῖς παισὶ καὶ τοῖς ἐκγόνοις ἐψήφιστο." Tale quid Horatius significasse videtur *principis* nomine, quo prave interpretes ajunt Octavianum anno demum 726. ornatum esse. Quo anno *princeps senatus* renunciatus est (Dio 53, 1. πρόκριτος τῆς γερουσίας ἐπεκλήθη.) et summum imperium denuo sumpsit referente Dione 53, 11.: „μέχρι οὗ κατηνάγκασαν δῆθεν αὐτὸν αὐταρχῆσαι." Denique non mirum est quod Octavianus tanquam deus celebratur in Horatii carmine. Quemadmodum enim jam a. 724. ei publicae privataeque libationes decretae erant (Dio 51, 19. fin. Ovid. Fast. 2, 637.): ita ipsis Calend. Jan. a. 725., simulac de Parthicis rebus nuntiatum est, sancitum, ut in hymnos juxta cum diis immortalibus adscriberetur (Dio 51, 20.). Inde corrigi debent, quae Vanderb. scripsit ad od. 3, 25. vol. II. p. 174.

Quare aut omnia fallunt aut Horatius hoc carmine, *cui de industria primam in nova sylloge sedem assignarit, primum* Caesari Octaviano immutata animi studia, quin etiam amorem suum et favorem palam contestatus est, tum cum Romani superatis Antonio et Cleopatra in solo Octaviano mox ex Oriente redituro spem labefactati

imperii restituendi confirmandique repositam haberent firmissimam. Repeto isti tempori soli accomodatum esse, quod Octavianus dicitur *Caesaris ultor*, quo facilius refellantur, qui odam aut ad a. 727. aut inmani errore ad a. 732. proferunt. De a. 732. cogitari plane nequit. Nam illi aetati carminis color minime convenit. Quis non miretur, ut unum afferam, Augusti expeditionis in Hispaniam ann. 728—30. susceptae nullam mentionem factam esse? Quis credat Horatium ann. 732. tam inepte quaesivisse: „*Quis expiabit populum?*" cum jam a. 727. omnis potestas penes Augustum fuerit? (Dio 53, 17. *οὕτω μὲν δὴ τό,τε τοῦ δήμου καὶ τὸ τῆς γερουσίας κράτος πᾶν ἐς τὸν Αὔγουστον μετέστη καὶ ἀπ' αὐτοῦ καὶ ἀκριβὴς μοναρχία κατέστη.*)

Neque minus falluntur qui carmen a. 727. scriptum esse putant. Nam Tiberis a. 727. post intumuit, quam Caesar Augusti nomine insignitus fuit. (Dio 53, 16. et 20. *Αὔγουστος μὲν δὴ ὁ Καῖσαρ, ὥσπερ εἶπον, ἐπωνομάσθη, καὶ αὐτῷ σημεῖον οὐ σμικρὸν εὐθὺς τότε τῆς νυκτὸς ἐπεγένετο· ὁ γὰρ Τίβερις πελαγίσας πᾶσαν τὴν ἐν τοῖς πεδίοις Ῥώμην κατέλαβεν, ὥστε πλεῖσθαι. καὶ ἀπ' αὐτοῦ οἱ μάντεις, ὅτι τε ἐπὶ μέγα αὐξήσει, καὶ ὅτι πᾶσαν τὴν πόλιν ὑποχειρίαν ἕξει, προέγνωσαν.* ***Augustus*** appellatus est sententia L. Munatii Planci a senatu caeterisque civibus ex a. d. XVI. Calend. Februar. a. 727., ut testatur Censorinus de die nat. cap. 22. (cf. Sueton. Oct. 7. Vellej. 2, 91.), aut Idib. Januar. auctore Ovidio in Fast. 1, 587. (cf. interprett. Dion. 53, 16. ed. Sturz. vol. VI. p. 72 sq. not. 106.) Ergo Tiberis inundavit d. XVIII. Jan. a. 727. Inde praefracte equidem negaverim carmen hoc anno scribi potuisse. Nam quamquam Horatium novi vel in carminibus post a. 727. ortis Caesari interdum non tribuisse Augusti nomen [4]), non du-

---

4) cf. od. 3, 14. 16. 4, 2. 34. 4, 5. 16. et 27. Schmid. ad epist. 2, 1. 4. (vol. II. p. 11.) Masson. hist. crit. V. p. 188.: „Il est encore faux, que dans les autres Livres on trouve partout ce nom d'Auguste. Il n' y est que neuf fois, au lieu que celui de Caesar y est dix-neuf fois."

bito tamen quin huic eclogae, *in qua patris et principis nomina honoris caussa affert,* novum cognomen interpositurus fuisset, si eam paucis diebus post quam inditum est composuisset, praesertim cum Octavianus cognomento valde gavisus sit. Ipse cupiit *Romulus* nuncupari. v. interprett. Dion. l. l. ed. Sturz. vol. VI. p. 73. not. 107. Serv. ad Aen. 1, 296. Flor. 4, 12. Sueton. Oct. 7. Deinde ex Dionis verbis didicisti, Tiberis inundationem ab hariolis non pro omine irae deorum sed sic acceptam esse, ut Augustum ad magnam potentiam perventurum esse dicerent. —

Maturae aetati, qua carmen ortum esse probavi, bene convenit dissecta vox ultima in v. 19.:

Labitur ripa, Jove non probante, u-
xorius amnis.

(cf. od. 1, 25. 11. et 2, 16. 7.), et magis etiam hiatus v. 47.:

Neve te nostris vitiis iniquum |
Ocior aura.,

cujus haec praeterea apud Horatium sunt exempla: od. 1, 12. 7. 1, 12. 31. 1, 22. 15. 4, 2. 24. carm. saecul. 47. cf. Sapph. fragm. ed. Neue (Berol. 1827.) p. 12. —

De v. 39.: Acer et *Mauri* peditis cruentum sq. v. Gust. Schwab. in Museo Rhen. ann. 1829. p. 474 sq. et Appian. b. civ. 1, 50.

Caeterum aetate supparem huic carmini esse arbitror odam libri III. 24. ob vs. 25 sq.:

„O quisquis volet impias
Caedes et rabiem tollere civicam,
Si quaeret Pater urbium
Subscribi statuis."

Aetas **CARMINIS IV.** *„Solvitur acris hiems"* incerta est. Sunt quidem qui anno 731. vel 732. (Kirchn.) id ortum conjectent, quod ad *L. Sestium*, cos. ann. 731. suffectum, scriptum sit. Sed isti nimis curiosi sunt. In codd. aliquot et in Porphyr. scholl. Sestius hic Horatianus dicitur *consularis.* Quare *verisimile* fit intelligendum esse L. Sestium, quem Augustus, postquam anno 731. consulatu se abdicavit, in locum suum suffecit (Dio Cass. 53, 32.),

praesertim cum et ipse Brutianis partibus non ut magis alter faverit, ita ut Horatio pridem cognitus et familiaris fuisse videatur. Dio l. l.: *„καὶ ἐπί τε τούτῳ ἔπαινον ἔσχε καὶ ὅτι Λούκιον ἀνθ' ἑαυτοῦ Σήστιον ἀνθείλετο, ἀεί τε τῷ Βρούτῳ συσπουδάσαντα, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς πολέμοις συστρατεύσαντα, καὶ ἔτι καὶ τότε* (731.) *καὶ μνημονεύοντα αὐτοῦ καὶ εἰκόνας ἔχοντα καὶ ἐπαίνους ποιούμενον.*" Sed quis inde, quod Scholl. viri consularis nomine eum insigniverunt, carmen eo ipso anno, quo consul fuerit, exaratum esse jure concludat? Immo ut multo id priore tempore factum putes, suadet metri delectus epodis propioris et quod ne verbo quidem summi illius honoris mentio facta est. Quamobrem recte fortasse Grotef. p. 468. b. eclogam ad mens. Februar. a. 725. retulit. Praeterea observa *Sestium* in quibusdam inscr. et a Schol. Porphyr. ***Publii*** praenomine insignitum esse, et adi sis Passov. vit. not. 101.

CARMEN VI. *„Scriberis Vario"*, in quo bellica virtus *Agrippae* celebratur, ante a. 727. conceptum esse videtur, quod Caesar v. 11. non appellatur Augustus. Adde quod poeta se amoribus indulgere et convivia ac proelia virginum canere malle dicit quam facta ducum. Nam quadragenarius desiit amare h. e. per ann. 729. (cf. od. 2, 4. et 1, 19.). Equidem odam non ita multo post pugnam Actiacam, et quidem per ann. 724. et 725. exaratam esse censeo. Nam ipse Agrippa praecipuus Actiacae victoriae auctor fuit. Weichertum inanibus rationibus ductum in libr. de Var. et Cass. p. 58. not. 50. extremos temporis cancellos huic carmini annos 727. et 734. assignasse, ipse videbis. Masson. in vit. p. 350—52. ultra a. 730. non progreditur. Kirchner. (tab. chron.) et Grotef. p. 471. a. referunt odam ad ann. 727. — Caeterum cf. carmen huic simillimum libri II. duodecimum, et de *Vario* praeter Weichertum Passov. vit. not 110. 244.

CARMEN VII. *„Laudabunt alii"* quamquam certam aetatis notam non continet, tamen tamquam de tripode pronuntiant homines docti scriptum esse anno u. c. 722.

(Masson. vit. Hor. p. 139. Sanad., Vanderb., Passov. not. 149. Kirchn. tab. chr.) Provocant ad vs. 15 sq.:

Albus ut obscuro deterget nubila coelo
  Saepe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos: sic tu *sapiens finire memento*
  Tristitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero: *seu te fulgentia signis*
  Castra tenent, seu densa tenebit
Tiburis umbra tui.,

quos illi tantum tempori accomodatos esse contendunt, quo *L. Munatius Plancus*, ad quem datum est carmen, ab Antonio ad Octavianum desciverit, sed ob dubiae fidei et inconstantiae suspicionem non eum invenerit Octaviani favorem, ut una ad bellum Actiacum profectus sit. Scilicet *fulgentia* illa *signis castra* nil nisi bellum Actiacum significant! Ain' tu? Crediderim equidem ex generali hac sententia: „Domi bellique, Plance, mitte sollicitudinem et curas!" nihil facile extundi posse. Sane scriptam esse odam oportet, cum Plancus Antonium jam dereliquisset. Nam non alia facile res eum permovere poterat, ut de voluntario exsilio meditaretur, quam quod se Augusto suspectum esse videret et gratiae ejus jacturam metueret. Fuit homo varius et mobilis, sed insignis orator (Ruhnken. ad Vell. Pat. 2, 63.) et Ciceroni familiarissimus (epist. ad fam. lib. X.), consul ann. 712., tum Antonii partibus fidus. Ad Octavianum transiit a. 722. (Dio 50, 3. Plut. Ant. 58. Vell. 2, 83.). Sed mansit vacillans. Anno 727. ejus suasu Octaviano *Augusti* cognomen inditum est (v. pag. 146.). cf. interpr. Dion. 50, 3. (ed. Sturz. vol. V. p. 617. not. 11.) et Passov. vit. not. 149. — Ut redeam in viam, improbabile mihi videtur esse hoc carmen, quod eodem metro compositum est, quo epod. 12., prius scriptum esse quam epodon liber evulgatus esset. Pertinet haud dubie ad idem tempus, quo Horatius melica composuit. Nitsch. id anno si Dis placet 713. adscripsit. cf. Vanderb. additions et correct. vol. II. p. 620. — Verborum poenitet in re incerta.

CARMEN XII. „*Quem virum aut heroa*" evidenter ante ann. 731. consignatum est, quo Marcellus, Octaviae filius et Juliae, Augusti filiae, conjux immatura morte obiit (Dio 53, 30. Vellej. 2, 93.). Hujus enim vigentis et ipso juventutis flore fruentis blanda cum observantia meminit Horatius v. 45 sq. Bonum factum! Hoc ni exstaret aetatis indicium, haud dubie temporum investigatores velut conjurati carmen ad a. 734. retulissent ob vs. 53—56.:

Ille, seu *Parthos* Latio imminentes
Egerit justo domitos triumpho
Sive subjectos Orientis orae
Seras et *Indos*,

captivos et signa a Phraate Parthorum rege remissa et Indorum legationem (Sueton. Aug. 21. Dio 54, 8.) significata esse opinati. Nam mirabili plane casu accidit, ut interpretes, ubi vel minima Parthorum mentio facta sit, istum annum vere venentur. Sed si quis alius hic locus documento esse potest, quanta superlatione poetae ejusmodi in rebus utantur. Quamquam hic poetam probe scio Augusto *polliceri* tantum Parthorum et Indorum cladem, nec respicere insigne aliquod factum. Sed et haec superlatio est. Augustus nil, quod admodum memorabile erat, adversus istas gentes gesserat illo tempore. Sed quo tandem? Plerique (Masson. vit. p. 226., Jani, Vanderb., Kirchn. quaest. p. 8. §. 18. et Grotef. p. 472. a.) carmen initio a. 731. scriptum esse contenderunt, nescio qua de caussa. Multo melius de ann. 729. aut 730. cogitaveris, ut fecit Leps l. l. p. 6. Nam *illo* Marcellus Juliam, Augusti filiam in matrimonium duxit (Dio 53, 27.) atque multis honoribus affectus est (Dio 53, 28. et interpr. Strz. vol. VI. p. 88. not. 204.), *hoc* suscepta est expeditio in Arabiam Felicem ab Aelio Gallo (Dio 53, 29. Strz. vol. VI. p. 89. not. 209.), cujus insignem poetae spondent successum (Hor. od. 1, 29. 4. 1, 35. 31. v. ad od. 1, 19.). Inde apparet Horatium per ann. 729. et 730. omni jure *Marcelli famam* et *Julium sidus* (de quo v. interpr. Dion. Cass. 45, 7. Sturz. vol. V. p. 448. Suet. Jul. Caes. 88. Plin. h. n. 2, 25. Senec. nat. quaest. 7, 17. Serv. ad Virg. ecl. 9, 47.) celebrare

potuisse. Mirum sane est, quod Octavianus hic quoque in v. 52. simplici *Caesaris* nomine compellatur, nec Cantabricae expeditionis, in qua tunc ipsum versabatur, mentio facta est. Nec intelligo, cur poeta de Parthis, Seribus et Indis subjectis inania verba fundere maluerit, quam justa principem laude ornare ob res in Hispania prosperrimo cum successu gestas. Fuit cum hoc ita ab omni verisimilitudine abhorrere putarem, ut carmen per a. 729. et 730. scribi potuisse negarem. Verebar ne factum esset a. 725., quo scite poeta pro Caesare vota nuncupare Parthorumque et Indorum meminisse potuisset, cum ille in Oriente res Parthicas ordinaret et omnium ora in se converteret. Attamen illo tempore vix poterat Marcelli mentio fieri, quippe qui a. 725. quattuordecim tantum annos natus esset. Hinc *a. 729. carminis natalem* habeo.

CARMEN XIV. „*O navis referent*" multis VV. DD. dubitationibus et conjecturis obnoxium fuit, quas singulas percensere non in animo est. Nosti duo potissimum judicia super eo prolata probe distinguenda esse, siquidem aut mera allegoria dicitur, aut revera ad navem aliquam scriptum putatur. Prior sententia quemadmodum gravissimum venerandae vetustatis auctorem habet *Quintilianum* (instit. orat. 8, 6. §. 44.), ita commendatur unanimi veterum Scholiastarum et *recentiorum* interpretum consensu. Alteram autem, quam primum *Muretus*, tum T. ***Faber*** proposuerunt, plaudentibus Dacerio, Bentlejo aliisque, nunc nemini fere placere video. Merito sane. Quis laceram navem non admodum humile ac puerile carminis lyrici argumentum cum Janio crepet? Quis temere auctoritatem explodat Quintiliani, qui hoc carmen tanquam illustre ac notum allegoriae exemplum attulit? — Sed quamquam plerique jam in eam partem inclinant, ut cum illo navem pro republica, fluctuum tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicta esse arbitrentur: discors tamen eorum concordia est, quatenus in aetate carminis definienda haerent. Omitto eos qui id annum 720. praecessisse autumant, quo tempore Horatius nondum lyrica scri-

pserat, nec mirari satis nequeo, quod *Buttmann.* in Mythol. vol. I. p. 343 sq. praeeunte Schol. *Acrone* (ad. v. 1.: „per allegoriam ode ista bellum significat civile, in qua quidam volunt, quod moneat rempublicam. Certius tamen est, quod Sext. Pompejum, Pompeji filium, moneat, qui, posteaquam foedus cum Triumviris fecit, bellum civile denuo reparare voluit." Acron ad v. 11. *Pontica pinus.* „ac si diceret magnae originis et nobilitatis, sed per metaphoram aut rempublicam alloquitur aut Cassium et Pompejum, cujus pater de Mithridate Pontico triumphavit.) hoc poematium ad *Sex. Pompejum* bellum piraticum renovantem retulit, navem pro ipso Pompejo positam esse ratus! Quae opinatio arrisit Passovio (vit. not. 96.), vehementer autem displicuit Kirchnero (quaest. p. 22. §. 41.). Multo probabilius hic et reliqui interpretes (Jani, Mitscherl., Doering., Vanderb.) odam a. 722. vel 723. ortam esse conjecerunt, cum inimicitiae inter Octavianum et M. Antonium coortae atrocissimum bellum portenderent. Quibus ego non dubitarem accedere, nisi me magnopere offenderet, quod Horatius obscura quadam allegoria, non diserte bella civilia dissuasit. Quidni enim libere elocutus fuerit quod sensit, ut fecit in epod. 7. „*Quo quo scelesti ruitis*" eadem aetate scripto? Reputanti insuper mihi, nullum esse carmen lyricum, quod evidenter evincas ante pugnam Actiacam factum esse, extra omnem dubitationem positum videtur, et singulari de caussa Horatium allegoria usum esse, et alia eclogam occasione atque vulgo putetur et quidem aliquanto posteriore tempore scriptam esse. Patescunt autem omnia et clarissima offunduntur luce, si ingeniosam *Torrentii* conjecturam (etiam Massono vit. Hor. p. 68., Sanadono et Grotefend. p. 466. b. probatam) sequaris, ex qua carmen ad id tempus refertur, quo Augustus de principatu deponendo deliberabat (Sueton. Aug. 28.). Persuasum erat Horatio, nova mala et bella civilia imminere reipublicae, si potenti principe orbaretur; noverat *Maecenatem in oratione, quam habuisset, ut Augustum ad imperium retinendum adhortaretur, rempublicam comparasse cum navi.* Quid mirum? si et ipse sententiam suam, quae penitus

animo insederat, eadem imagine usus in Octaviani et Maecenatis honorem effatus est. Nec inaniter me haec fudisse intelliges ex comparatione Maecenatianae orationis, quam Dio Cass. lib. 52, 16. dedit. Fusior profecto et accuratior in ea allegoria est, quam quae ab historico ficta esse credi possit. Ita autem ad Horatianam accedit, ut de nostra ratione ambigi propemodum nequeat. „*Καὶ διὰ ταῦτα,* inquit, *ἡ πόλις ἡμῶν ὥσπερ ὁλκὰς καὶ μεγάλη πλήρης ὄχλου παντοδαποῦ, χωρὶς κυβερνήτου πολλὰς ἤδη γενεὰς ἐν κλύδωνι πολλῷ φερομένη, σαλεύει τε καὶ ἄττει δεῦρο κᾀκεῖσε, καθάπερ ἀνερμάτιστος οὖσα. μήτ᾽ οὖν χειμαζομένην ἔτ᾽ αὐτὴν περιΐδῃς. ὁρᾷς γὰρ ὡς ὑπέραντλός ἐστι. μήτε περίερμα περιῤῥαγῆναι ἐάσῃς. σαθρὰ γάρ ἐστι, καὶ οὐδένα ἔτι χρόνον ἀντισχεῖν δυνήσεται. ἀλλ᾽ ἐπειδήπερ οἱ θεοὶ ἐλεήσαντες αὐτὴν καὶ ἐπιγνώμονα σὲ καὶ ἐπιστάτην αὐτῆς ἐπέστησαν, μὴ προδῷς τὴν πατρίδα. ἵν᾽ ὥσπερ νῦν διὰ σὲ μικρὸν ἀναπέπνευκεν, οὕτω καὶ τὸν λοιπὸν αἰῶνα μετ᾽ ἀσφαλείας διάγῃ.*" Talia fere Maecenas a. 725. dixit. Itaque eidem vel sequenti carmen Horatianum assignaverim.

CARMEN XVI. „*O matre pulchra*" poeta non ita multo post epodon editionem lusit. Nam qui memorantur criminosi jambi haud dubie ii intelligendi sunt, quos in Canidiam scripserat. Huic enim spoponderat quodammodo deprecationem lyricam epod. 17, 49. Idem affirmat Schol. Cruq.: „Cantat palinodiam i. e. cantando revocat quae scripserat iratus in amicam Gratidiam." Epodum 17. omnium novissimum esse vidimus, anno fere 724. compositum. Atqui ab eo haec oda non nimis disjuncta esse potuit aetate, praesertim cum in utroque carmine poeta se annis *provectiorem* prodat (epod. 17, 21. et od. v. 22.). Hinc carm. 16. per ann. 724. et 725. ortum suspicor. Qua in re convenit mihi cum Grotefend. p. 469. a. et b. (725.). (Kirchner. quaest. p. 27. §. 51. a. 726.). Caeterum fuerunt qui odam ad Tyndaridem, Gratidiae filiam, datam esse existimarent, propterea quod in duob. Torrentii codd. satis obscure hoc lemma praefixum sit: „*Palinodia Gratidiae ad Tyndaridem.*" Sane fieri potuit, ut poeta ipsius Canidiae

filiam aliquando adamaret. Sed quis tali de re litiget? Adi si tanti est Vanderb. vol. I. p. 336. Gravius est et memoratu dignius, quod Wuellnerus in commentat. de aliquot carm. Horat. (Duesseldorf. 1834.) p. 5. de hoc carmine scripsit: „Naturam carminis parum perspexisse mihi videntur illi, qui in eo legendo nihil senserunt nisi gravitatem, magnificentiam, splendorem, similia. Inest sane gravitas, magnificentia, sublimitas; at ea *non vera* est, sed *affectata* et adscita. Namque dum vultu poeta poenitentiam simulat et forsitan revera in pectore agit, simul tamen quasi in sinu ridet atque culpam suam vimque irae humanae oratione exaggerans, grandiloquus delicti veniam petit, qua ratione amici duo, si qua dissensio exorta est, veterem gratiam inter se restituunt." —

Quod sequitur **CARMEN XVII.** „*Velox amoenum*" Scholiastae ad eandem Tyndaridem scriptum esse affirmant, quae in praecedenti intelligenda sit. *Acron:* „Et hanc oden recantando ad Tyndaridem scribit Horat., cui ut plene satisfaciat, invitat eam in fundum suum, quem in Sabinis habebat." *Porph.*: „Haec ode ad Tyndaridem scribitur, cui plene cupiens satisfacere poeta invitat eam in fundum suum, quem in Sabinis habebat." Grotefend. p. 469. a. odam ad a. 725. retulit; Kirchn. ad a. 727. Sterilem agrum frustra rimeris. Sed v. sis Vanderb. I. p. 340.

Quod fuerunt qui **CARMEN XIX.** „*Mater saeva Cupidinum*" anno 734. (Jani, Weichert. de Var. et Cass. p. 59. not. 50. Leps. l. l. p. 6.) aut 735. (Masson. vit. p. 313.) scriptum esse putarent, non miror. Dies noctesque quidam veluti spectris territi cogitarunt de signis et captivis a. 734. a Parthis Augusto redditis. Cujus facti in hac quoque ecloga mentionem factam esse asserunt v. 9—12.:

„In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit; nec patitur *Scythas*
Et versis *animosum* equis
Parthum dicere, nec quae nihil attinent."

Nimis acute cernunt. Ne levidense quidem ejus rei vesti-

gium verbis inest. Quin apparet Scythas et Parthos eo tempore quo haec scriberentur admodum terribiles Romanis et plane invictos fuisse. Amore, inquit, prohibeor quominus Scytharum et *fortium* Parthorum res gestas canam. Nosti enim Horatianum illud (od. 2, 13. 17.): „*Miles sagittas et celerem fugam Parthi*" (perhorrescit). cf. Virg. Georg. 3, 31. Justin. 41, 2. — Multo igitur probabilius, postquam jam Mitscherl. et Vanderb. pravam istam computationem rejecerunt, Grotefend. p. 471. (ob. v. 10.) et Kirchn. tab. chron. hoc carmen a. 730. exaratum esse judicaverunt.

Scribit poeta se „*finitis animum reddere amoribus*" et *Glyceram deperire.* Nunc desiit amare circa a. 729. (od. 2, 4, 21.) et *Glycerae* amore aliquantisper jam arserat, cum scriberet od. 3, 19., quae annum 732. bona temporis intercapedine antecessit. Ergo consequens est, ut nostrum carmen, quod Horatius recens amore captus lusit, vel in a. 729. vel in sequentem incidat. Huic vero tempori apprime convenit facta Parthorum mentio, siquidem Augustus a. 729. duce Aelio Gallo exercitum in Arabiam Felicem missurus erat, de qua expeditione Horatius tam magnifice loqui solet, ut Parthos quoque et Indos subactum iri dicat. cf. od. 1, 12. 53 sq. 1, 29, 4. 1, 35. 31.

Admodum incerta est *Scytharum* commemoratio. Nam *Scytharum* (Horat. od. 1, 35. 9. 2, 11. 1. 3, 8. 23. 3, 24. 9. 4, 5. 25. 4, 14. 42. c. saec. 55.) sive *Sarmatarum* (Strab. 11, p. 492. et 507.) nomen scriptores non solum *Tanaitis* et quae trans Tanaim incolebant gentibus imponunt, sed etiam *Istri accolis* et *populis ultra Istrum* habitantibus, *Gelonis* (Horat. od. 2, 9. 23. 2, 20. 19. 3, 4. 35.), *Getis* (od. 3, 24. 11. 4, 15. 22.), quin etiam ipsis *Dacis* (Sat. 2, 6. 53. od. 1, 35. 9. 2, 20. 18. 3, 6. 14. 3, 8. 18.). — Plin. h. n. 4, 12. Istri gentes describens: „*Ab eo*, inquit, (sc. quarto Danubii ostio) *in plenum quidem omnes Scytharum sunt gentes, variae tamen litori apposita tenuere, alias Getae, Daci Romanis dicti* [5]), *alias Sarmatae, Grae-*

5) Hinc Sueton. Aug. 63. Cotisonem *Getarum* regem vocat. Et

cis Sauromatae." Dio Cass. 51, 22. Dacos scythicam nationem dicit: „*καὶ ἀθρόοι πρὸς ἀλλήλους Δακοί τε καὶ Σουῆβοι ἐμαχέσαντο. εἰσὶ δ' οὗτοι μὲν Κελτοὶ, ἐκεῖνοι δὲ δὴ Σκύθαι τρόπον τινά. καὶ οἱ μὲν πέραν τοῦ Ῥήνου — οἱ δ' ἐπ' ἀμφότερα τοῦ Ἴστρου νέμονται. — οἱ δὲ ἐπέκεινα Δακοὶ κέκληνται, εἴτε δὴ Γέται τινὲς, εἴτε καὶ Θρᾷκες, τοῦ Δακικοῦ γένους τοῦ τὴν Ῥοδόπην ποτὲ ἐνοικήσαντος ὄντες.* v. Virg. Georg. 3, 461.

Omnes illae gentes transdanubianae Romanis infensae erant, praesertim cum Daci brevi ante pugnam Actiacam Antonio sese addixissent (Dio 51, 22. Hor. od. 3, 6. 13—16.). M. Crassus a. 724. in Graeciam et Macedoniam ab Octaviano missus cum Dacis, Bastarnis (Dio 51, 23.), Moesis aliisque gentibus vicinis (Liv. epit. 134.) conflixit, et de his triumphum egit a. d. 4. Non. Jul. ann. 726. (fasti Capitol. cf. Virg. Aen. 8, 714—28. Masson. Jani templ. p. 69. et p. 123.). Idem per a. 729. adversus Thracas bellum gessit, ut patet e Liv. epit. 135.: „*Bellum a M. Crasso adversus Thracas et a Caesare adversus Hispanos gestum refertur.*" Tum Augustus misso Lentulo Dacis et Sarmatis bellum intulit. Sed non liquet, quando id factum sit. Interpretes quidem (ad od. 3, 8. 18. et in vit. Hor.) annum 734. rimati sunt, temere tamen et sine ulla justa ratione. *Florus*, quem laudant, haec tantum tradit lib. IV, 12. §. 18.: „*Daci* montibus inhaerent: Cotisonis regis imperio, quoties concretus gelu Danubius junxerat ripas, decurrere solebant et vicina populari. Visum est Caesari Augusto gentem aditu difficillimam submovere. Misso igitur Lentulo ultra ulteriorem repulit ripam: citra praesidia constituit. Sic tunc Dacia non victa sed sub-

---

Justin. 32, 3. §. 6.: *Daci quoque suboles Getarum sunt.* Sed Strabo 7, p. 304. Getas et Dacos distinguit: *Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος τῆς χώρας μερισμὸς συμμένων ἐκ παλαιοῦ. τοὺς μὲν γὰρ Δάκους προσαγορεύουσι, τοὺς δὲ Γέτας. Γέτας μὲν, τοὺς πρὸς τὸν Πόντον κεκλιμένους, καὶ πρὸς τὴν ἕω. Δάκους δὲ τοὺς εἰς τἀναντία πρὸς Γερμανίαν, καὶ τὰς τοῦ Ἴστρου πηγὰς, οὓς οἶμαι Δάους καλεῖσθαι τὸ παλαιόν.*).

mota atque dilata est. *Sarmatae* patentibus campis inequitant: et hos per eundem Lentulum prohibere Danubio satis fuit. Nihil praeter nives, rarasque silvas habent. Tanta barbaries est, ut pacem non intelligant." Nec disertior testis est Sueton. Oct. 21.: „Coercuit et Dacorum incursiones, tribus eorum ducibus cum magna copia caesis."

Caeterum Istri accolae a poetis et inprimis ab Horatio tum maxime commemorantur, cum de gravissimis et pertinacissimis Romanorum hostibus dicendum est, ita ut Scytharum, Massagetarum (od. 1, 35. 40.), Gelonorum, Thracum, Dacorumque nomina pariter atque Medorum, Persarum, Parthorumque apud Horatium vere *θετικὰ* haberi queant. Ita in eo carmine, de quo agimus, non ob singulare aliquod factum Scytharum mentio facta est, sed quod noti et sat odiosi hostes essent. Ita a. 727. sine ullo delectu scripsit od. 1, 35. 9.: „Te Dacus asper, te *profugi Scythae* (metuunt)."

CARMEN XX. *„Vile potabis"* quantulumcunque est, unicum tamen solatium solaque paene spes eorum est, qui suas temporum computationes infringi paulatim et corruere sentiunt. Hoc enim meae rationi aperte adversari clamant, quippe quod evidenter a. 735. exaratum sit (cf. Vanderb. I. p. 316 sq., Kirchn. quaest. p. 9. §. 20. p. 31. §. 57., Lange in annal. crit. Berolin. 1835. vol. II. p. 861.). O male feriatos, impium lenite clamorem! Non equidem cum Peerlkampio odarion abjudicabo Horatio (cf. Lud. Doederl. in Mus. Rhen. a. 1837. fasc. 4. p. 598. et 99.), at libere patefaciam, quam misere plerique calculum subduxerint.

Horatius Maecenati, quem noverat apud se in praedio Sabino coenaturum vel potius bibiturum esse, potandum pollicetur *vile Sabinum* eo anno a se conditum, quo ei in theatro plausus datus sit. Atqui honorifica hac vulgi observantia Maecenas affectus est eodem anno, quo Horatius arboris casu in summum vitae discrimen venit, ut patet e carm. 2, 17. 21 — 30. Hoc autem infortunium, cujus quater meminit poeta (carm. 2, 13. 2, 17. 3, 4. 27. et 3, 8.), uno anno ante accidit quam scriberetur carm. 3, 8.: *„Martiis caelebs"*. Ergo si hujus odae annum natalem investigaveris, simul inventa est aetas od. 2, 13. *„Ille et nefasto"*

et judicare licet in universum saltem de tempore carminis 1, 20. *„Vile potabis.“*

Neque invidit nobis Horatii Musa harum rerum cognitionem; nam od. 3, 8. optima habet temporis indicia, quae eo magis nostrum est vel turbato scribendi ordine statim hic examinare, quo artius hae quaestiones inter se cohaerent.

Horatius igitur celebraturus diem, quo arboris lapsu paene exstinctus fuerit, in **CARMINE III. OCTAVO** *„Martiis caelebs“* Maecenatem ad se invitat et ne mirum illi videatur, quod caelebs ipsas Cal. Martias festas acturus sit, in mentem ei revocat periculum illud, quod hoc ipso die *anno proxime praecedente* [6]) prospere effugerit. Huic invitationi intexuit res quasdam ex historia illius temporis depromptas a vers. 17.:

Mitte civiles super urbe curas,
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis.
Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber, sera domitus catena.
Jam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

His fulti indiciis omnes quod sciam interpretes, et post Massonum quidem (vit. Hor. p. 277 sq.) Sanadon., Jani, Mitscherl., Vanderb., Doering., Jahn. p. 234., Passov. not.

6) Proximo statim ab isto infortunio anno Horatium ad Maecenatem haec scripsisse, non est quod dubites. Primum enim poetam credibile est non post plures demum annos, sed statim primo, ubi ater dies rediit, sacrum anniversarium instituisse. Quodsi verum, etiam Maecenatem facile concedes primo anno, non postea demum invitatum et de caussa festi temporis commonefactum esse. Denique non dixit Horatius — quod quibusdam visum est — se quotannis interioris notae vino et lautis epulis celebraturum esse diem, sed certum annum significat, siquidem certam amphoram apertum iri diserte indicat v. 11. („Amphorae fumum bibere institutae consule Tullo“). — Hinc verba *„anno redeunte“* idem hic valere censeo, quod alias dicitur: *anno vertente*, ut a Corn. Nep. Ages. cap. 4. (ut quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic transierit.) cf. Hor. Sat. 2, 2. 83. 1, 1. 36. ibiq. Heind. et Kirchn. p. 174. Nos: *„Dieser nach einem Jahre mir wiederkehrende festliche Tag.“*

247.„ Kirchner. quaest. p. 5. §. 9. et p. 9. §. 20. et Grotefend. p. 473. b. carmen a. 734. exaratum esse censuerunt, ita me judice decepti, ut nil supra. Refellam statim vanam horum opinationem, ne in meae rationis gratiam res apertissimas argutiis confundere videar. Non equidem nego *Cantabros* aptissime a. 734. potuisse dici *„sera domitos catena servire"*, quippe qui tum demum ab Agrippa plane subigerentur (Dio Cass. 54, 11. Flor. 4, 12. §. 51 sq. Hor. epist. 1, 12. 26.). Sed cum bellicosissima ista natio eaque indocta Romanorum juga ferre (od. 2, 6. 2.) aliquoties superata sit, primum 725. (Dio 51, 20.), deinde 729. (Dio 53, 25.) et 731. (Dio 53, 28.) *et ita superata, ut post unumquodque bellum plane subacta et credi potuerit et credita sit a Romanis*, sponte apparet factam *„subacti Cantabri"* mentionem incertam temporis notam esse et eam tantum vim habere, ut confirmet quae aliorum indiciorum ope explorantur. Jam si reliqua examinaveris, nullum invenies, quod a. 734. indicet. Hunc vero incredibilibus commentis expiscantur. Fingunt sibi et alta voce pronunciant, *Dacos* eo anno victos esse a Lentulo (v. ad 1, 19.), fingunt sibi et ad nauseam usque repetunt, Maecenatem tunc ipsum absente Augusto urbi et Italiae praefuisse, cum tamen *Agrippam* jam a. 733. ab Augusto in Orientem profecturo urbi praefectum fuisse certo constet (Dio 54, 6.). Denique persuadent sibi aliisque persuadere cupiunt, illa verba: *„Medus infestus sibi luctuosis Dissidet armis"* scribi potuisse ann. 735. Tanquam Phraates eo tempore non potitus fuerit rerum; tanquam Horatium verisimile sit redditis signis et captivis de civili Parthorum discordia verba fecisse, tacuisse vero de re famigeratissima! Di meliora! Videamus quid rei sit. De a. 734. cogitari nequit. Cantabrorum autem commemoratione fit, ut inter annos 725. 729. et 730. optio detur. Nec difficilis delectus est. Anno 725. Horatius non poterat de Cantabris *sera* domitis catena loqui, cum id temporis *primum* istis gentibus bellum illatum esset. Nec Maecenas urbi praefectus erat; nam aderat Augustus. Neque curant poetae ista aetate Cantabros. Immo longe alia carminibus intexunt, Horatius maxime. Loquuntur de

labente vel erecto imperio, de Oriente subacto, de Aegypto pacata, de bellorum civilium cladibus et miseria aliisque rebus, ut facile intellectu est ex carminibus tum scriptis. Nec anno 731. odarium ortum esse potest. Nam neque hoc Maecenas praeerat urbi, cum ipse Augustus praesens esset.

At mire omnia indicia in *a. 729.* quadrant. Primum enim Cantabri et Astures hoc anno *denuo* domabantur. Jam a. 727. Augustus ex Gallia, quo in Britanniam exercitum ducturus se contulerat, in Hispaniam profectus erat, eam ut provinciam constitueret (Dio 53, 22.). Rebus compositis iterum decrevit in Britanniam trajicere. Sed prohibebatur rebellione Cantabrorum, Asturum et Salassorum, gentis Inalpinae. Hinc adversus hos misit A. Terentium Varronem, contra illos ipse quidem suscepit bellum, sed aeger Tarraconem reversus C. Antistio et T. Carisio legatis commisit. Quorum opera istae gentes plane subiguntur (Dio Cass. 53, 25. Justin. 44, 5.), sepultoque bello (*παυσαμένου δὲ τοῦ πολέμου τούτου.* Dio l. l. 26.) veteranorum colonia ***Augusta Emerita*** in Lusitania conditur a. 729. cf. Sueton. Oct. 20. 21. 85. Flor. 4, 12. 46 sq. Oros. 6, 21. Scalig. ad Euseb. chr. MDCCCCXCII. Augustus anno demum 730. medio Romam redit (cf. ad od. 3, 14.). Tum Cantabri et Astures denuo motus faciunt, sed cito in potestatem rediguntur (Dio 53, 29.). Vides igitur Horatium Calendis Mart. a. 729. de Cantabris subactis loqui potuisse.

Eidem tempori egregie accomodatum est quod dicit: „*Medus infestus sibi luctuosis Dissidet armis.*" De Parthorum regno jam a. 723. contendebant ***Phraates*** et ***Teridates*** (Dio 51, 18.). Hic victus abiit in Syriam, sed recepit regnum, cum Phraates ab ipso populo in exsilium pulsus esset. Phraates vero immensis Scytharum auxiliis adjutus bellum parat a. 729. Hinc Teridates „audito adventu Scytharum cum magna amicorum manu ad Caesarem in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem profugit, obsidem Caesari minimum filium Phraatis ferens, quem negligentius custoditum rapuerat", referente Justino libr. 42, 5. §. 6. Phraates legatos Romam misit „repetitum servum suum Teridatem et filium." Ipse Teridates Romae versatur.

Deliberatur in Senatu (anno 731.). Non traditur Teridates, sed remittitur filius Phraatis ea conditione, ut signa militaria et captivi M. Crasso et M. Antonio adempta restituerentur (Dio 53, 33. Justin. l. l. cf. Tac. Annal. 2, 1.). — Itaque Horatius a. 729. bella Parthorum civilia aptissime propterea potuit tangere, ut Maecenatem a nimia rerum publicarum cura dehortaretur. Hunc enim eo ipso anno, quo Augustus nondum redierat, verisimile est urbi fuisse praefectum, quo munere jam a. 718. 723. et 724. functus erat. Quamquam nil hac de re a scriptoribus notatum invenio. Sed ipsum Horatium habeo testem, qui in carm. 3, 29. haud dubie aestate anni 729. exarato ita scripsit v. 25. sq.:

Tu civitatem quis deceat status
Curas, et Urbi sollicitus times,
Quid *Seres* et *regnata Cyro*
Bactra parent, Tanaisque discors. (*Scythicus amnis.* od. 3, 4. 36.)

Atque Maecenatem longum tempus Caesaris partibus functum esse certum est (cf. Dio 49, 16. 51, 3. 55, 7. Tac. Ann. 6, 11. Vell. 2, 88.). — Porro apparet, quo jure Horatius scripserit:

Jam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Nam ut in carm. 3, 29. *Tanaitas discordes* memorat, ita hic Scythas intelligit non Istri, sed *Tanais accolas, Sarmatas,* Parthorum socios (Justin. 42, 5. §. 5.), „auditu modo cognitos", ut ait Sueton. Aug. 21., quos egregie fingit arma deposuisse, cum Augustum post Teridatis fugam Parthicarum rerum arbitrum factum esse intellexissent. Denique ipsos quoque Istri accolas fusos fugatosque esse scribit v. 18.:

Occidit Daci Cotisonis agmen.

Merito sane. Nam jam a. 725. M. Crassus Dacos, Getas, Bastarnas, Gelonos, Thraces aliasque gentes vicinas ita vicerat, ut triumphum deportaret (cf. pag. 156.). Hinc Geloni in od. 2, 9. „*intra praescriptum exiguis campis*" dicuntur *equitare.*

Quid vero? Oportet sane anno 729. totum imperium pacatum bellisque vacuum fuisse, quod tunc ipsum Janus iterum Augusti nomine clausus est, teste Dione Cass. 53, 26. fin. cf. Oros. 6, 21. Sueton. Octav. 22.

Ita igitur probatum esse spero, carm. 3, 8. circa Calendas Martias anni u. c. 729. stilo signatum esse. Unde haec continuo patescunt:

1. *Arboris casus*, qui miserum Horatium paene eliserat, „nisi Faunus ictum dextra levasset, Mercurialium custos virorum" (od. 2, 17. 28.), *accidit Cal. Mart. a. 728.*

2. Eodem anno Maecenas vehementer aegrotavit et recuperata sanitate in theatro publica populi acclamatione consalutatus est (od. 2, 17. 22 sq. cf. Passov. not. 122.).

3. *Carm. 2, 13. „Ille et nefasto"* mense Mart. ann. 728. scriptum est, eodemque ut videtur *carm. 2, 17. „Cur me querelis"*.

4. Vinum Sabinum, quod Horatius Maecenati in od. 1, 20. potandum pollicetur, a. 728. conditum est.

Quae si omnia vere et recte subducta sunt, prorsus aliud fiet judicium de aetate carminis libri I. vicesimi. *Vile* illud Sabinum haud dubie non insigne erat vetustate, nec falli mihi videor, si id cum interpretibus biennio fere post quam conditum est promptum judico. Nam *quadrimum Sabinum* ipso Horatio teste (od. 1, 9. 7.) bonae notae vinum erat. Ex quo apparet non nimis fidem habendam esse Galeno, qui apud Athen. lib. I. p. 27. inter vina Italica nullum commemorat, quod ante quintum annum bibi possit, et de Sabino haec prodit: *πάντων δὲ τούτων ὁ Σαβῖνος κουφότερος, ἀπὸ ἐτῶν ἑπτὰ ἐπιτήδειος πίνεσθαι μέχρι πεντεκαίδεκα.* Cicero in Brut. 83.: „ut si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium consulem quaerat." Plin. hist. nat. 14, 8. (10.): „Omnia transmarina (vina) septem aut sex annis ad vetustatem pervenire existimantur." Idem 23, 1.: „Falernum nec in novitate nec in nimia vetustate corpori salubre est. Media ejus aetas a quindecimo anno incipit." cf. Schmid. ad epist. 1, 5. 5.

Quodsi igitur Sabinum illud Horatii duorum annorum aetatem habuit, odam 1, 20. a. 730. scriptam esse efficitur. Nec obstat quidquam huic rationi.

CARMEN XXI. *„Dianam tenerae"*, quod post Schol. Acronem permulti, vel Masson. (vit. Hor. p. 186. et 318. et histoire crit. V. p. 191.) in ludis saecularibus a. 737. cantum esse statuerunt, merito ridente Bentlejo (in praef.), nunc interpretes pro suo quisque arbitrio huc illuc referunt (Jani, Vanderb., Leps., Grotef. p. 472. a. ad a. 731., Kirchn. ad a. 732., Nitsch. olim ad a. 725., probante Vanderb. addit. et corrections vol. II. p. 621.), mihi persuasissimum est decantatum esse in prima celebratione *ludorum Actiacorum quinquennalium anno u. c. 726.* (Dio 53, 1. *καὶ τὴν πανήγυριν τὴν ἐπὶ τῇ νίκῃ, τῇ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ γενομένῃ, ψηφισθεῖσαν ἤγαγε μετὰ τοῦ Ἀγρίππου, καὶ ἐν αὐτῇ τὴν ἱπποδρομίαν διά τε τῶν παίδων καὶ διὰ τῶν ἀνδρῶν τῶν εὐγενῶν ἐποίησε. καὶ αὕτη μὲν διὰ πέντε ἀεὶ ἐτῶν, μέχρι οὗ ἐγίγνετο, ταῖς τέσσαρσιν ἱερωσύναις ἐκ περιτροπῆς μέλουσα.*). Primum enim non ita multo post bella civilia scriptum est, quandoquidem in vers. 13—16.:

„Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque a populo, principe Caesare, in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece."

eam fere animi affectionem poetae deprehendere mihi videor, qua composuit od. 1, 2. (cf. v. 45.) et 1, 35. (cf. v. 29.). — Persarum vero et Britannorum mentio facile ducit ad ann. 726., quo Octavianus duos exercitus eo consilio conscripserat, ut alterum ipse contra Britannos duceret, alterum mitteret in Arabiam (Dio 53, 22.). Hinc scripsit Horat. od. 1, 35. 38.:

O utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum.

Deinde vero ut de ludis Actiacis cogitem, permovet me Scholion quoddam Cruquianum, quod quamquam carmini saeculari adhaeret, haud dubie tamen huc pertinet. Scho-

liasta ille, ubi alia omnia de ludis saecularibus protulit, subito transit ad haec: „Itaque quum Augustus ab Actio Epiri promontorio superato Antonio esset victor reversus, ludos scenicos Romae celebravit in *honorem Apollinis* et *Dianae*, sed praecipue Apollinis, quod putaret se ab illo praecipue fuisse defensum et propter hos ludos et carmen Augustus divus (cf. ad od. 1, 2.) tunc esse meruit, in cujus gratiam Horatius in Capitolio decantari fecit a pueris et puellis hoc carmen a se edoctis." Haec equidem non dixerim ab imperito homine scripta esse. Sunt enim omnia ad fidem historicam. Eundemne autem credibile est, quae recte scripsisset, ea ad aliena tempora retulisse? Minime gentium! Esto verbis postliminium! — Quin per se consentaneum est Horatii Musam die illo sollemni, quo ludi Actiaci Caesare auctore primum celebrarentur, non tacuisse. Ita festum egit diem, quo Apollinis templum in Palatino dedicabatur, carm. 1, 31. — De ludis Actiacis in Apollinis honorem institutis Dio Cass. 51, 1. haec habet: *καὶ ἐπ' αὐτῇ* (sc. *ἡμέρᾳ*) *τῷ τε Ἀπόλλωνι τῷ Ἀκτίῳ τριήρη τε καὶ τετρήρη, τά τε ἄλλα τὰ ἑξῆς, μέχρι δεκήρους, ἐκ τῶν αἰχμαλώτων νεῶν ἀνέθηκε· καὶ ναὸν μείζω ᾠκοδόμησεν. ἀγῶνά τέ τινα καὶ μουσικὸν καὶ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας τε, πεντετηρικὸν, ἱερὸν* (*οὕτω γὰρ τοὺς τὴν σίτησιν ἔχοντας ὀνομάζουσι*) *κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας.* — — *ταῦτα μὲν ὕστερον ἐγένετο.* cf. interpr. h. l. (ed. Sturz. vol. VI. p. 1 sq. not. 3. 4. 5.) Sueton. Oct. 18. 59. Dio 51, 19.

CARMEN XXIV. „*Quis desiderio*" ad Virgilium datum, qui nuperam Quintilii mortem lugebat, a. 730. conscriptum est, siquidem Quintilius idem est, de quo Hieron. Chron. Euseb. ad ol. CLXXXIX. (a. u. c. 730. 24. a. Chr.) haec prodidit: „*Q. Cremonensis, Virgilii et Horatii familiaris, moritur.*" cf. Masson. vit. p. 221. Passov. not. 152. Weichert. de Var. et Cass. p. 132 sq.

CARMEN XXVI. „*Musis amicus*" temporis indicium habet in v. 3 sq. Mitto, inquit, tristitiam et metus,

— — quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae,
Quid Teridatem terreat, unice
Securus.

Ex his liquet carmen scriptum esse a. 729. Respicitur apparatus belli, quod expulsus Phraates una cum Scythis contra Teridatem regem suscepit (cf. ad od. 3, 8.). Tum igitur et ipsi Parthi, quorum permagna pars Teridati favebat, metuebant regem plagae Arctoae h. e. Scytharum magno cum exercitu appropinquantem, et Teridates summo in timore versabatur, ne regno depelleretur. Atque ita ejus timor adauctus est, ut in Hispaniam ad Augustum profugerit. Hoc factum anno 729., ut patet e Justin. 42, 5. §. 6. (v. supra p. 160.). Carmen autem Horatianum compositum est ante fugam Teridatis, certe antequam de ea nuntius Romam perlatus esset. Ergo non anno 730. assignandum erit, id quod fecerunt Vanderb., Mitsch., Doer., Jahn. p. 226., Passov. not. 249. alii, sed cum Grotef. p. 472. *anno 729.* Prave Massonus (vit. Hor. p. 224. et in Jani templ. res. p. 113. not.) Jani, Kirchn., aliique annum 731. odae natalem habuerunt, quo metuerit Teridates, ne ab Augusto Phraatis legatis traderetur. Quo tempore Parthi non poterant dici metuere Scythas; nam „*Phraates Cyri solio*" (od. 2, 2. 17.) jam a. 730. redditus erat et „*Scythae laxo* meditabantur *arcu Cedere campis.*" (od. 3, 8. 24.).

CARMEN XXIX. „*Icci beatis*", quod plerique omnes a. 729. aut 730. scriptum autumant, equidem cum Massono vit. H. p. 201., Grotef. p. 470. b. et Obbario in Seeb. Jahn. et Klotz. annal. vol. 16. p. 51. refero ad a. 727., quo Augustus adversus Britannos et Arabes bellum parabat. Dio Cass. 53, 22. et 29 sq. Horat. od. 1, 35. 29 sq. cf. ad od. 1, 12.

CARMEN XXX. „*O Venus*" per annos 729. et 730. exaratum est, siquidem Glycera eadem est, cujus se amore

percussum dicit od. 1, 19. 5. et 3, 19. fin. cf. quae dixi de od. 1, 19. — Kirchn. 731.

CARMEN XXXI. *„Quid dedicatum"* a. 726. composuit poetà, cum Octavianus Apollinis templum et bibliothecam in Palatino rite dedicaturus erat. Sueton. Oct. 29. Dio Cass. 53, 1. cf. Masson. p. 187. et Grotef. p. 469. b.

CARMEN XXXII. *„Poscimur"* vir quidam doctus in ephemerid. antiq. Darmstad. ann. 1834. p. 979. propter obsoletum illud *„cunque"* in v. 15., quod se bis tantum (Lucret. 5, 313. 583.) absolute positum invenisse affirmat, primitiis poetae annumerandum esse conjecit. „Sollte man nicht, inquit, aus diesem Archaismus schliessen dürfen, dass Horaz, der nur in seinen frühesten Versuchen einiges Alterthümliche vermöge seiner Studien durchschimmern lässt, auch unser Gedicht *in den zwanziger Jahren* schrieb?" Mihi non persuasit. Et immane quantum etiam Kirchneri et Grotefendi computationes ab ista conjectura discrepant, quorum ille odam anno 731., hic (p. 471. a.) ann. 728. et 729. consignatam esse statuit. Modestior equidem propono ann. 724—730.

Quae de tempore **CARMINIS XXXIII.** *„Albi, ne doleas"* et possunt proferri et prolata sunt, ea omnia nituntur conjecturis eisque valde incertis: Hinc alii in alia inciderunt, tamen ut suum quisque judicium speciosis argumentis ornare et stabilire studuerit. — Consolatur poeta *Albium Tibullum* de perfidia *Glycerae* graviter dolentem doloremque suum *„miserabilibus elegis"* effundentem. Jam cum in Tibulli carminibus, quae quidem supersunt, nusquam memoretur Glycera quaedam, neque vero dubitari possit quin Tibullus *poeta* intelligendus sit: rectissime plerique id nomen fictum habuere, quo Horatius amicam aliquam Tibulli insigniverit. Ab hac igitur sententia progressi inter *Deliam, Nemesin* et *Neaeram* deligunt. Quin etiam tempore probabiliter constituto, quo Tibullus hanc illamve amarit, carminis Horatiani aetatem certo definire conantur. Qua-

lem ego ausum non quidem temerarium et spernendum habeo, sed tamen tam incertum et dubium, quam incerti et volubiles fuerunt Tibulli amores. (1, 5. 9. Saepe aliam tenui.). — *Spohnius* in disput. de A. Tib. vit. et carm. p. 5o. et p. 96 sq. probare studuit, Glyceram Horatianam esse Tibulli ***Deliam*** [6]), quae mutato nomine nunc Nemesis nunc Neaera appellata fuerit. Cujus puellae perfidiam cum Tibullus ex expeditione redux ruri latens ploraret et paulo ante miserabiles elegos libri III. 2. et 6. cecinisset, ab Horatio statuit ei auctumno a. 728. odam, et brevi post epist. 1, 4. missas esse, quorum carminum in priore jocose, in altero serio eum consolari et erigere studuerit. Nihil horum, quamvis ingeniose excogitata et docte disputata sint, magnam probabilitatem habet. Nam ut taceam, tertium qui Tibulli nomine circumfertur librum nunc ab omnibus fere Tibullo merito abjudicari (cf. ed. Lachmanni p. 44. et Dissen. p. XXVI.), nec de interiore nexu, quem Spohnius inter odam et epistolam Horat. esse conjectavit, nec de tempore ita omnia liquent, ut confidenter ei accedas, et minus etiam verisimilia sunt, quae de Glycera proposuit. Certe qui incorrupte judicaverit, ei vix fieri poterit quin multo magis arrideat sententia Fr. ***Passovii***, qui in Seebodii horreo phil. et paedag. vol. II. a. 1825. p. 189. testimonium Ovidii (Amor. 3, 9. 31.) secutus:

Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,
Altera cura recens, altera primus amor.

duas tantum puellas, primum ***Deliam***, deinde ***Nemesin*** (Ovid. Amor. 3, 9. 55.) a Tibullo vere amatas esse statuit, quarum posteriorem Horatius Glycerae nomine *eoque pari syllabarum numero ac quantitate insigni* signaverit. Nemesin avaram (Tib. 2, 4.), saevam (eleg. 2, 4. 6.), duram (2, 6. 28.) multo aptius *immitem* dici potuisse, quam

---

6) i. e. Planiam. cf. Apul. apol. p. 279. ed. Elmenh. Schol. Acr. ad Sat. I, 2. 64. Bentl. ad od. 2, 12. 13. Weich. poet. rel. p. 412 sq. — ***Deliae*** nomen Carolus Reisigius conjecit a graeco δῆλος ita ductum esse, ut ***Planiae*** nominis, quod a *plani* voce descenderit, translatio esset graeca, narrante Weicherto in addendis comment. de Var. et Cass. p. 375.

Deliam. Miserabiles vero elegos intelligendos esse libri II. el. 3. 4. et 6. Merito pro eadem sententia propugnavit *Weichert.* de Var. et Cass. p. 235 sq. nec labefactatam eam et immutatam esse confitetur p. 375. doctis ***Disseni*** disputt. in ed. Tib. Tom. I., Glyceram Horatianam Tibulli Nemesin esse omnino negantis (cf. p. XX.). Non recte autem Weichert. p. 238. carmen Horatii per ann. 733. et 34. exaratum esse suspicatus est, scilicet ex vulgari ratione certum esse credens, librum odarum I. carmina complecti, quae intra annos 718—736. composita sint (cf. l. l. p. 237.); circumspectius multo Carol. ***Passovius***, qui inscius in fratris partes transierat, in vit. Horat. not. 214. p. LXXXVIII. de anno 729. cogitavit, (Ita etiam ***Lachmannus*** in ephem. liter. Halens. 1836. Jun. p. 258.), quo Tibullus laesam *immitis Glycerae* („*der unholden Hulda*" Jahn. in edit. 2. p. 227.; „*Dulcinea.*" Weich. l. c. p. 236. not. 27.) fidem deploraverit. Non tamen sibi constitit. Nam in annot. 152. odam circa a. 726. scriptam dixit. Frustra in tantis tenebris tempus natalicium quaeras. A. Tibullus anno 719. Horatio nondum familiaris fuisse videtur; nam Sat. 1, 10. non in censorum, fautorum amicorumque numero refertur. Utrumque amicitiae vinculo ann. 722. aut 723. copulatum esse conjicit Passov. in vit. not. 152., probabili sane ratione, si verum est, quod Dissenius (vol. I. p. XVI.) dixit, Tibullum stipendia equestria meriturum anno 712. Penates reliquisse, et anno demum 722. rediisse Romam. Sed Jahnius in annal. vol. II. fasc. 2. p. 410. anno demum 727. Horatium et Tibullum amicos factos esse censet.

CARMEN XXXIV. „*Parcus deorum*" probabile est scriptum esse anno fere 730., cum Parthorum regnum pulso Teridate rediisset rursum ad Phraatem (cf. od. 1, 26. 2, 2. 17.). Hanc enim rem respexisse videtur poeta in vs. 14 sq.:

Hinc *apicem* rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

nam *apex* inprimis de Persarum regum pileo, tiara, diademate dicitur (Jani ad od. 3, 29. 53.); nec Horatium verisimile est fortuito et hanc vocem usurpasse et de apice posito et sublato locutum esse. Audi Buttmannum docte eleganterque hanc conjecturam ita commendantem in Mythol. tom. I. p. 321 sq.: „Mit einer Zeitungsnachricht, wenn ich so sagen darf, zur Bestätigung eines Gemeinplatzes, schlösse sich eine erhabene Ode von nur sechzehn Zeilen nach meiner Empfindung schlecht. Aber in ausgesuchten Worten allgemein gelassen, entspricht der Gedanke der Würde des ganzen, während eine ernste Anspielung, so leicht angebracht, durch die Wahl eines einzigen Wortes, zu einer Zeit, wo jenes Ereigniss wahrscheinlich die allgemeine Aufmerksamkeit beschäftigte, nicht anders als einen höchst wohlgefälligen Eindruck machen konnte." Sane vel ex crebra mentione, quam Horatius rerum Parthicarum fecit, colligi potest, quantopere eae Romanis curae cordique fuerint. Totus assentior Buttmanno. Kirchn. tab. chron. 731. Grotef. p. 470. a. 726.

CARMEN XXXV. *„O diva gratum"* rectissime post Massonum (Jani templ. reser. p. 82—87. vit. Hor. p. 128. et 196.) Kirchnerus in quaest. p. 5. §. 9., Grotef. p. 470. b. aliique retulerunt ad a. 727., quo Augustus in Britanniam et Orientem exercitus missurus erat. (cf. Dio 50, 24. interpr. Sturz. vol. V. p. 625. Dio 53, 22. et 25. cf. od. 1, 29.) Cujus rei aperte meminit Horatius v. 29 sq.:

Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos, et juvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.

Miror assensum cohibuisse Car. Passovium (vit. not. 248.) et aliquanto posteriori tempori carmen adscripsisse. Quod vehementer dissuadent vs. 33 sq.: *„Eheu cicatricum et sceleris pudet* caet.", in quibus poeta *recens* a *miseria* de bellorum civilium malis conqueritur, plane ut od. 1, 2. 22 sq. et od. 2, 1. 29 sq. (cf. Germanici verba apud Tac.

Annal. 1, 43.) ut taceam, Octavianum simplici Caesaris nomine compellari v. 29.

CARMEN XXXVI. „*Et ture et fidibus*" ad Plotium Numidam, Horatii et Lamiae amicum (v. 7.), ex expeditione Cantabrica reducem (v. 4.) datum, a. u. c. 730. exaratum est, nisi forte Plotius prius in Italiam rediit. Hic quoque de interpretum concordia laetari licet. cf. Masson. vit. p. 218. Grotef. p. 472. a. Passov. not. 152. Kirchner. tab. chr.

CARMEN XXXVII. „*Nunc est bibendum*" poeta cecinit auctumno anni 724., cum de capta Alexandria et voluntaria M. Antonii et Cleopatrae morte (Dio 51, 9—14.) Romam perlatus esset nuntius. Quod factum m. Septembri. Nam mirabili casu accidit, ut M. Tullius Cicero, oratoris filius, qui ex Idib. Sept. ann. 724. ab Octaviano in consulatu collega assumptus erat (Gruter. inscr. p. CCIC. Pigh. ann. Rom. tom. III. p. 495.), Caesaris literas de superato Antonio belloque Alexandrino confecto Romam missas pro concione recitaret (Plut. vit. Cic. fin. Dio 51, 19.). *τοῦτό τέ τινες οὐκ ἀθεεὶ δὴ συμβὰν ἐλάμβανον, ἐπειδήπερ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ὑπὸ τοῦ Ἀντωνίου ὅτιμάλιστα ἐτεθνήκει.* Dio l. l. — Res tam aperta, ut interpretum dissensum prohibuerit. cf. Masson. p. 177 sq. et in Jani templ. res. p. 61., Weich. de Var. et Cass. p. 372. Summo jure Grotef. p. 466. b. 468. a. 469. b. hoc carmen omnium primum pervulgatum esse ab Horatio dixit.

Idem p. 466. b. verissime scripsit haec: „Obgleich die letztere Ode (2, 7.) schon eine hohe Vollendung zeigt, so hat sie im ersten Worte des 5. Verses mit jener (od. 1, 37.) noch die Synaloephe gemein, (*Pompei* et *Antehac*) wozu in der ersten Ode (1, 37.), die überdiess, fast ohne abzusetzen und ohne alle Strophenabtheilung die Begebenheiten eines Jahres von der Schlacht bei Actium bis zum beabsichtigten Triumphe über Cleopatra so in ein Ganzes verwebt, als wenn Alles unmittelbar nach einander geschehen wäre, die Freiheit kommt, den Alkaischen Vers (v. 5.)

(Antehac nefas || de|promere Caecubum)
um eine Sylbe zu früh, v. 14.:

(Mentemque lympha|tam|| Mareotico)
um eine Sylbe zu spät einzuschneiden, was Horaz sich in keiner andern alkaischen Ode erlaubte, wenn er sich auch zuweilen noch andere Freiheiten nahm."

Bis caesura hujus versus turbatur elisione:

od. 1, 16. 21. Hostile aratrum exercitus insolens.

od. 2, 17. 21. Utrumque nostrum incredibili modo.

Semel in posterioris aetatis carmine (4, 14. 17.) neglexit caesuram:

Spectandus in certamine Martio.

Nam od. 3, 2. vs. 30.

Neglectus incesto addidit integrum

ab ipsa elisione excusationem habet.

CARMINIS XXXVIII. „*Persicos odi*" annum natalem soli noverunt Kirchn. et Grotef., quorum ille in tab. chr. id anno 729., hic p. 469. b. anno 725. assignavit. Equidem in his tenebris nil cerno. Nec scire fas est omnia.

Cap. V.

De temporibus quibus libri II. carmina scripta sint.

CARMEN I. *Motum ex Metello"* per annos 724. et 725. exaratum est. Primum enim non solum post a. 715. scriptum fuerit necesse est, quo a. d. VIII. Kal. Novembr. Asinius Pollio de Parthinis, populo Illyrico, triumphum egit (Dio 48, 41. Appian. b. c. 5, 75. Flor. 4, 12. 11. Thorbecke de C. Asin. P. p. 33.), cujus mentio facta v. 15.:

Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.,

sed etiam post ann. 719., quoniam Pollio post hunc tandem ad conscribendam bellorum civilium historiam accessit. Nam cum in Sat. 1, 10. 42. nobilissimus tragoediarum scriptor dicatur, hic autem intermisso aliquantisper dramaticae poesis studio historiam componere narretur vs. 9 sq.:

Paulum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox, ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno.,

dubitari non potest quin Pollio, qui ab a. 715. a rebus publicis gerendis prorsus abstinuit et in otio ac secessu optimis literis vixit, primum in dramaticam artem incumbens anno 719., quo Sat. 1, 10. scripta est, hoc potissimum nomine famam et claritatem assecutus fuerit, et tum demum a poesi studia sua ad res historicas tractandas transtulerit.

Inde ulterius progredi licet. Nam si Pollio anno 719. opus illud historicum nondum coepit contexere, probabiliter

colligi potest, id eum debellato demum M. Antonio fecisse. Primum enim, quamquam librum a societate Pompeji M., Julii Caesaris et Crassi a. 694. inita tanquam a primo bellorum civilium fonte ordiebatur, eum tamen improbabile est eo tempore, quo gliscentes inter Octavianum et M. Antonium discordiae igniculi proximum bellum certo quasi portenderent, quo reipublicae salus plane in suspenso esset, quo de rerum gestarum eventis nondum posset vere et recte judicari — ad describendam suae aetatis historiam sese accinxisse. Deinde in partes vocandi sunt v. 6—8.:

Periculosae plenum opus aleae
Tractas, et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Nam si reputaveris, Pollionem semper Antonio conjunctiorem fuisse, minus autem favisse Octaviano, facile intelliges, quo potissimum tempore opus illud historicum *plenum periculosae aleae* dici potuerit. Quamdiu M. Antonius in vivis erat et dimidiam fere summae potestatis partem habebat, plane non erat cur Pollio Octavianum timeret et libere res gestas enarrare subvereretur. At cum Octavianus solus rerum potitus et Pollio quodammodo victoris praeda factus esset, arduum profecto et periculosum scribendi munus subiit, si severus rerum gestarum judex nec partium studio nec ineptae assentationi deditus coeptum opus confecturus erat. Denique quod in vs. 5. legitur: *„arma nondum expiatis uncta cruoribus“* (cf. Thorbeck. p. 114 sq.) id scribi non poterat nisi post pugnam Actiacam. Qui enim Horatius brevi ante eam de cruoribus nondum expiatis quasi sopitis bellis locutus fuerit, cum inter Octavianum et Antonium ita ingravescerent inimicitiae, ut serius ocius bellum erupturum esse neminem Romanorum posset praeterire? Atque si vers. 29 sq. respexeris *„Quis non Latino sanguine pinguior“*, eadem eos animi affectione a poeta scriptos esse senties, qua de multiplici bellorum civilium miseria paulo serius conqueritur od. 1, 35. 29. et 35; et qua circa a. 725. sceleris expiandi partes tribuit Octaviano in od. 1, 2. 29 sq. Id ipsum autem, quod scelera in bellis civilibus

perpetrata nondum exsoluta esse dicuntur piaculis, documento est, carmen ante od. 1, 2. nec ita multo post devictum Antonium aut exeunte a. 724. aut initio sequentis scriptum et Pollioni missum esse. Totus color, si quid sentio, bellis civilibus id admodum propinquum esse probat. — Masson. vit Hor. p. 90—107. nil certi de aetate odae definire conatur; ita etiam Vanderb., quamquam vol. I. p. 211. eam ante pugnam Actiacam scribi potuisse negat. — Jahn. in edit. p. 228. ann. ***725.***, Weichert. de Var. et Cass. p. 152—154. ann. 725—27., Grotef. p. 470. b. et Kirchn. tab. chr. anno 727. (merito improbante Obbario in Seeb. Jahn. et Klotz. annal. vol. 16. fasc. 1. p. 50.) carmen exaratum esse conjecerunt.cf. Pass. not. 136.

Duo sunt, quae **CARMINIS II.** *„Nullus argento"* aetatem determinant. Primum ante a. 732. scriptum esse debet, quo Fannii Caepionis et Licinii Muraenae conjuratio contra Augustum facta detecta est (v. pag. 62.), quoniam Proculejus, Muraenae frater, insigni laude propterea ornatur v. 5 sq., quod pio et liberali animo cum *fratribus* de integro patrimonium suum diviserit, cum illi bellis civilibus bona amisissent. Deinde carmen ante a. 730. ortum esse nequit, quod Phraatis in regnum Parthorum restituti mentio fit v. 17 sq. (cf. ad od. 1, 26. et 3, 8.). Ergo per ann. 730. et 731. exaratum sit necesse est. Atqui rem Parthicam facile apparet *recens factam* commemorari. Hinc summo jure plerique omnes (Sanad., Vanderb., Jani, Mitscherl., Doer., Jahn. p. 228., Pass. not. 249., Grotef. p. 472., Kirchn. tab. chr.) odam ***anno 730.*** factam esse statuerunt. Sed Heindorf. ad Sat. 1, 2. 48. p. 41. de posteriore tempore cogitavit; Masson. vit. p. 303. vel de a. 734.

Non certo quidem constat, quando **CARMEN III.** *„Aequam memento"* compositum sit, sed bello Actiaco multo id posterius esse, cum ex argumento tum ex compositionis arte ab elocutione et versuum structura insigni recte colligas. Scriptum videtur ad Q. *Dellium*, hominem tam varium et inconstantem, ut Messala eum „bellorum civi-

lium desultorem" diceret, quippe qui a Dolabella ad Cassium, a Cassio ad Antonium atque ab hoc ad Caesarem desciverit, referente Seneca Suas. I, 6. Idem Cleopatrae primum persuasit, ut ad Antonium veniret (Plut. Anton. p. 926. cap. 25.), sed ipse ad Octavianum transiit a. 723. (Dio 50, 13. et 23. Vellej. 2, 84. ex emendatione Lipsii palmaria sane.). Videtur historicus fuisse (Plut. Anton. p. 943. cap. 59.). Nam scripsit Parthicam historiam teste Strabone lib. XI. p. 523. (*ὥς φησιν ὁ Δέλλιος* [Mendose olim *'Αδέλφιος*] *ὁ τοῦ 'Αντωνίου φίλος, συγγράψας τὴν ἐπὶ Παρθυαίους στρατείαν αὐτοῦ, ἐν ᾗ παρῆν καὶ αὐτὸς ἡγεμονίαν ἔχων.*). Jure tamen cum Torrentio, Janio, Vanderb. aliisque dubites, num idem fuerit, quem Dio Cass. 49, 39. Antonii olim exoletum fuisse narrat, quamquam interpr. l. l. (Sturz. vol. V. p. 605. n. 185.) unum eundemque ubivis intelligunt. — Utut hoc est, Dellius ille, quamquam Octaviani gratia et favore fructus est atque opibus valuit, tamen praesenti rerum conditioni diffisus parum constantem sese praestitisse videtur. Hinc poeta, *qui fortasse Bruto duce cum eo militavit,* auream ei mediocritatem in vita fruenda commendat, forsan a. 725., quo idem suasit vacillanti L. Sestio in od. 1, 4. — Kirchn. tab. chr. 725. Grotef. p. 470. b. 727. cf. Passov. not. 101.

Certissima est aetas **CARMINIS IV.** *„Ne sit ancillae",* ut quod poeta octavo vitae lustro *modo* clauso quadragenarius lusit exeunte a. 729. vel initio a. 730., ut patet e fine:

— fuge suspicari,
Cujus octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum.

De lustro *quinquennali* v. Ovid. de Pont. 4, 6. 5. et 6. Adisis Masson. vit. p. 216., Kirchn. quaest. p. 5. §. 9., Grotef. p. 471. a., Eichstad. parad. q. Horat. iterum propos. (Jenae. 1832.) et diurn. scholast. Darmstad. 1833. sect. II. fsc. 146. p. 1166 — 68. — Recte Porphyr.: „Aetate quadraginta aetatis annos se excessisse ostendit. Octo enim lustra, octo quinquennia, quadraginta annos scilicet claudunt.

Quae aetas videtur jam amori esse aliena." Cave falsa Weicherti ratione decipiaris, qui in comment. de Var. et Cass. p. 59. not. 3. Horatium octavum lustrum clausisse dixit a. 728.

CARMEN VI. *„Septimi Gades"*, quod Vanderb. I. p. 231. brevi ante a. 720. (721. Varr.), et Kirchner. quaest. p. 5. §. 9. p. 8. §. 18. p. 31. §. 57. a. 718. exaratum esse infelicissime conjecerunt, quoniam Horatius praedium Sabinum nondum possederit, scriptum esse post a. 725. clare apparet e vs. 2., in quo Cantabri *„indocti Romanorum juga ferre"* dicuntur. Nam eo tempore primum Romanis cum istis populis res fuit, primumque Cantabri, Astures et Vaccaei victi sunt, teste Dione 51, 20. Jugum autem excutere studuerunt a. 728., unde Augustus ex Gallia a. 729. in Hispaniam profectus rebellantes gentes domuit (Dio 52, 22. et 25.). Itaque Cantabri non facile ante a. 728. Romani jugi impatientes dici poterant. Nec veri est absimile carmen per ann. 728. et 29. compositum esse. Aperte poeta se aetate provectiorem prodit in v. 6 sq. (v. Passov. not. 92.) et v. 22 sq., qui quam inepte Kirchner. et Vanderb. carmen ipsi vigenti aetati adscripserint luculenter docent. Nec mirum est Horatium tanquam certo domicilio carentem in *agro Tiburtino* vel *Tarentino* una cum Septimio suo vitae tabernaculum voluisse collocare. Alioquin mirandum etiam esset, quod prorsus eodem sensu ductus ad Maecenatem scripsit, cum dudum villam possideret, epist. 1, 7. 44.:

— mihi jam non regia Roma
Sed vacuum *Tibur* placet aut imbelle *Tarentum*.,

vel quod od. 3, 4. 21. cecinit:

Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos; seu mihi frigidum
Praeneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidae placuere Bajae.

Quamquam probabile est Horatium singulari prorsus de caussa quae nos fugit et singulari occassione ductum carmen composuisse. Videtur quidem omnis ejus finis in rara

Septimii amicitia praedicanda ponendus esse. Sed nemo rimatus est, nec rimabitur facile quisquam, quo Horatius impulsu in talia inciderit. Hujus rei jam veteres Scholl. ignari erant, quorum Acron: „Septimium, equitem Romanum, amicum et commilitonem suum hac ode alloquitur, cui se tantum gratiae necessitudine fatetur adstrictum, ut si velit ad ultimas nationes ire se cum eo promittat posse. Hortatur tamen, ut gratissima sibi loca eligat Tiburis et Tarenti, quorum et amoenitatem laudat". (Similiter Porph. et Cruq.) Recteque interpretes Dacerio diffisi sunt carmen anno 727. scriptum esse conjicienti, cum Septimius poetam invitaverit, ut secum Augustum Cantabris bellum inferentem comitaretur. Namque id temporis nemo, ne ipse quidem Augustus, de Cantabrorum bello cogitabat (Dio 53, 22 sq.). cf. Masson. vit. Hor. p. 306 sq. et Sanadon. — Caeterum initium carminis poeta eadem ratione scripsisse videtur, qua od. 2, 2. 10.

CARMEN VII. *„O saepe mecum"* non *Pompejo Grospho Siculo* (epist. 1, 12. 21. et od. 2, 16.) scriptum, ut post Sanadonum longe major interpretum pars contra auctoritatem Scholiastarum et plurimarum inscriptionum, quae in vett. libr. mscr. habentur, statuit, etiam Passovius not. 101. et Grotef. p. 460.; sed *Pompejo Varo Italo* (cf. Vanderb. tom. I. p. 364 sq. et Weich. de Var. et Cass. p. 136 sq.) unanimi voce referunt ad a. 715., quo pace cum Sex. Pompejo circa Misenum facta proscriptis omnibus redeundi impunitas data est (Dio 48, 36. Vell. 2, 77.). Ita Massono (vit. Hor. p. 88 sq.) duce tum interpretes omnes tum Weich. de Var. et Cass. p. 138., Obbarius in Seeb. Jahn. et Klotz. annal. vol. 16. p. 50., et Kirchner. in quaest. p. 5. §. 9. p. 8. §. 18. p. 31. §. 58., eamque rationem tam certam exploratamque habent, ut praefracte paene negent alio tempore Horatii amicum Romam potuisse redire. Eheu! Omnia nituntur Massoni conjectura, et ea parum probabili. Non premo, Horatium ante pugnam Actiacam lyrica non attigisse — quae sententia hoc ipso carmine reprobaretur — at jure meritoque innitor in eo, quod

Flaccus odam scripsit, cum villam jam possideret, contestante v. 19.:

Ergo obligatam redde Jovi dapem,
Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea, nec
Parce cadis tibi destinatis.

Nam quamquam haec verba paulo obscuriora sunt, ita ut jam Scholiastae in alia omnia inciderint (*Acron:* ut est illud Virgilii [ecl. 1, 80.] „hic tamen hac mecum poteris requiescere nocte", vel certe sub Augusti victoria; aut tanquam poeta invitat amicum sub suo carmine): facile tamen est ad intelligendum, Horatium de lauru sua tanquam de certa sede, de cadis destinatis, omninoque de lauti convivii apparatu non potuisse ante loqui, quam certum domicilium haberet et curta ejus supellex Maecenatis liberalitate in splendidiorem promota esset. Atqui a. 715. Maecenati ne cognitus quidem erat. Miro igitur casu accidit, ut duri interpretes hic et in praecedenti carmine misello Horatio ipsius delicias villam eripuerint. Et cum alia multa sint, quae vulgarem opinationem vanam esse ostendant, mireris sane, quod omnium primus Grotefend. p. 460. ab ea discessit. Cujus eo minus dubito ipsa verba huc transscribere, quo accuratius singula rerum momenta pensitavit. Disputavit ita: „Die Meinung, dass Horaz schon 715 od. 2, 7 zur Begrüssung seines alten Freundes unter Brutus, des Pompejus Grosph., gedichtet habe, zerfällt auch abgesehen von der inneren Vollendung des Gedichtes, zu welcher Horaz sich erst viel später befähigte, schon durch den Inhalt der 5. Str., in welcher der durch lange Kriegsführung erschöpfte Freund aufgefordert wird, in seines Lorbeers Kühle bei einem freudenvollen Mahle auszuruhen, welches er ihm erst nach Erhaltung des Sabin. Gutes anzubieten vermochte. Dass Pompej. Grosph. keiner der früh Zurückkehrenden war, dafür bürgt nicht nur sein Name, sondern auch der Umstand, dass ihn Hor. späterhin, als er sich auf seine reichen Güter in Sicilien zurückgezogen hatte, wo er ihm noch 734 (epist. 1, 12. 22.) dem Intendanten der Güter Agrippas Iccius empfahl, in der 16. Ode des 2. B. die

Ruhe anempfehlen musste. So früh wir also auch die Rückkehr des Pomp. ansetzen mögen, so darf sie doch nicht früher gedacht werden, als nach der Besiegung des Antonius, des letzten Gegners Octavians, und so fällt seine Begrüssung in Rom mit der ersten bekannten Ode (1, 37) d. h. in eine Zeit zusammen, da Horaz schon alle seine Sermonen und Epoden geschlossen hatte." Omnia comprobo, nisi quod Pompejum Varum a Pompejo Grospho distinguendum esse arbitror. — De synaloephe in v. 5. (Pompei.) cf. od. 1, 37. pag. 170.

CARMEN IX. *„Non semper imbres"* bonum temporis indicium praebet v. 18 sq.:

— et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten
Medumque flumen, gentibus additum
Victis, minores volvere vortices;
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.,

quod plerique perperam interpretati sunt. Nam justo cupidius *„nova Augusti tropaea"* intelligunt signa a Parthis recepta, cum tamen *novae* dumtaxat imperatoris *victoriae* significentur, plane ut apud Virg. in Georg. 3, 32.: „Et duo rapta manu diverso ex hoste *tropaea*." Deinde in v. 20. Tigranis in regnum Armeniae per Tiberium Neronem instituti (Dio 54, 9.) mentionem factam esse contendunt, et in vs. 23. victoriae de Gelonis sive Dacis anno si dis placet 734. (cf. od. 1, 19. p. 156.) a Lentulo reportatae. Inde carmen vulgo refertur ad a. 734. (cf. Masson. p. 306. Weich. poet. rel. p. 204. Kirchn. quaest. p. 5. §. 9. p. 10. §. 22. p. 31. §. 58.), a Grotefendo vero p. 474. b. vel ad a. 735. Solus Vanderburg. vulgaris istius rationis argumenta admodum incerta esse probe intelligens sustinuit assensionem et odam a. 730. (731. Varr.) ortam esse conjecit vol. I. p. 317 sq., tamen ut ipse vineta sua caedens propter *„rigidum Niphaten"* in sollemnem errorem relapsus sit. Scrutemur quid rei sit. Primum apparet novas quasdam ipsius Augusti victorias commemorari, quae nec diserte designan-

tur — propterea opinor quod et Valgio et omnibus satis cognitae erant — et vero etiam diversae sunt ab iis quae paulo post tanguntur. Ergo conjectura tantum assequaris, quae nova ista Augusti tropaea fuerint. Deinde quae sequuntur satis obscura sunt. Nam *Medo flumine* in universum denotantur res Parthicae, et rigidus ille *Niphates* non minus quam qui in fine commemorantur *Geloni* ut dubiam habent explicationem, ita ad tempora definienda non multum conferunt. Perdifficile dictu est, quid *Niphate* sibi voluerit poeta. Interpretes quidem Armeniam significatam esse autumant. Vereor tamen ut recte. Nam primum Horatius Niphaten non videtur intellexisse *montem*, sed *fluvium*. Nescio enim an subabsurde dictum sit: cantemus *rigidum montem* N.; eleganter vero et concinne: cantemus rigid. Niphaten (fluvium) Medumque flumen minores volvere vortices. Qua de re plane assentior Mitscherlichio. Jam si fluvium Horatius habuit Niphaten, in incerto est, quamnam terram significare voluerit. Nam Niphates *fluvius* a geographis nusquam memoratur. Schol. *Acron*: *„Scythiae fluvium*, inquit, *plerique Armeniae montem putant.“* Deinde eo facilius ad eam me inclino sententiam, ut Horatium credam nec certo cognitum exploratumque habuisse, ubi terrarum Niphates fluvius esset, nec, si Armeniam ita designavit, singulare aliquod et memorabile factum respexisse, quo magis mihi persuasum est, totum locum ex Virgiliano in Georg. 3, 31. effictum esse. Vide modo, quanta Horatii versibus similitudo intercedat cum Virgilianis his:

Addam urbes Asiae domitas, pulsumque *Niphaten*
Fidentemque *fuga Parthum* versisque sagittis.
Et *duo rapta* manu diverso ex hoste *tropaea*
Bisque triumphatas utroque ab litore gentes.

Hinc nihil tribuo Niphatae, quem a Virgilio mutuatus est. Et obscurior omnino ejus commemoratio est, quam ut Horatius ea tetigisse credi possit, quae a. 734. gesta claris verbis ita descripsit in epist. 1, 12. 26 sq.:

Cantaber Agrippae, *Claudi virtute Neronis*
Armenius cecidit; jus imperiumque Phraates
Caesaris accepit genibus minor. —

Sed largiar Niphatae nomine — sive fluvium poeta sive montem intellexit — Armeniam significatam esse. Cum Mantuanus poeta jam a. 724. consuetis superlationibus usus de Armeniis Parthisque *subactis* locutus sit, etiam Horatium illius vestigiis insistentem manifestum est res a Romanis adversus gentes istas gestas, etiamsi ne commemoratione quidem dignae essent, mirifice augere et amplificare potuisse propterea, ut Augusti honori velificaretur. Ac quaerenti mihi, quando ab eo talia scripta esse verisimile sit, nullum tempus aptius videtur esse, quam quo ipse ***Parthos, Seras*** et ***Indos*** justo domitos triumpho (od. 1, 12.) et ***Dacos Scythasque*** subactos (od. 3, 8.) dixit h. e. per a. 729. et 730. Sane eo tempore, quo Janus secundum claudebatur et Augustus Parthicarum litium disceptator factus erat, non solum ***Medum flumen*** sed etiam ***Niphates*** — quasi toto Oriente subacto — minores volvere vortices dici potuit aptissime. De Gelonis cf. quae dixi ad od. 1, 19. et 3, 18. ***Nova*** autem illa ***tropaea Augusti*** non dubito quin referenda sint ad prosperum successum Cantabricae expeditionis tunc ipsum ad finem perductae.

CARMEN X. „*Rectius vives*" multo ante a. 732. scriptum esse debet, quo conjuratio Licinii Varronis Muraenae, ad quem oda data videtur, et Fannii Caepionis ad Augustum opprimendum facta detecta est (cf. p. 62. et 174.). Nec tamen annum ejus natalem facile inveneris, ut quidam ausi sunt. Passovius enim (not. 101.) id a. 724., Kirchn. tab. chr. a. 728., Grotef. p. 471. b. anno 731. assignavit.

CARMEN XI. ob ipsum exordium:

„Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Hadria
Divisus objecto, remittas
Quaerere."

probabile est compositum esse sub finem a. 728. aut initio a. 729., cum Cantabri rebellarent et Scythae instigante Phraate contra Teridatem expeditionem pararent. (cf. od. 3, 8. et 1, 19.) Cave autem de a. 725. cogites, quo Cantabri,

Vaccaei et Astures primum a Statilio Tauro (Dio 51, 20.), et Scytharum gens (h. e. Istri accolae) a M. Crasso in ditionem redigebantur. Hos enim frendentes jugum accepisse et Romanis ferrum minitatos esse pro certo dicas. — Isti autem aetati hoc carmen minime convenit. Nam in v. 5 sq. et 15. canum se prodit poeta. Albescentem capillum habuit a. 730., ipso teste od. 3, 14. 25. — Perperam plerique odarion ad a. 734. retulerunt, etiam Kirchn. quaest. p. 5. §. 9. — Convenit mihi cum Grotefend. p. 472. — De Quinctio cf. Passov. not. 263. et Obbarius in Jahn. annal. a. 1832. vol. I. fasc. 4. p. 576.

CARMEN XII. „*Nolis longa ferae*" videtur factum esse per a. 725. et 726. Quemadmodum enim jam per se consentaneum est, Horatium non prius, quam Antonius superatus exstinctusque esset, a Maecenate rogatum instigatumque esse, ut Caesaris victorias celebraret carmine: ita e vs. 11. et 12.:

— Tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius, *ductaque per vias*
Regum colla minacium,

abunde patet odam post triplicem demum triumphum, Dalmaticum, Actiacum et Alexandrinum mense Sextili a. 725. a Caesare ex Oriente reduce actum scriptam esse. Nec multo posteriore tempore potuit. Nam primum Octavianus simpliciter dicitur *Caesar* v. 10. Deinde cum post acutissimas disputationes Bentleji, Buttmanni (Mythol. vol. I. p. 340.) et Weicherti (poet. rel. p. 462 — 74.) non possit dubitari quin v. 13. *Licymniae* nomine signata sit *Terentia,* pulcherrima Maecenatis uxor: hoc minus opinor fallimur, si ob v. 15. et 16., in quibus „*bene mutuis fidum pectus amoribus*" Terentiae tribuitur, totum juvenilis uxorculae praeconium *primis initi matrimonii annis* convenire arbitramur, quo certius compertum habemus, mutuum utriusque conjugis amorem saepissime refrixisse postea, et mala discordia, zelotypia ac perfidia turbatum interruptumque esse. Nunc cum Maecenas et Terentia intra a.

721. et 722. conjugiali vinculo copulati sint (cf. epod. 3.), carmen ultra a. 725. proferri nequit. Nam simulatque Octavianus Romam rediit, vetus ille Terentillae amator, quis Maecenatis uxorem etiam tum fidam mansisse polliceatur? Neque vero Weicherto assentior, qui l. l. p. 473. omnia jam gliscente discordia ab Horatio eo consilio scripta esse autumat, ut amori Maecenatis fomenta adderet et nutrimenta, eumque novo veluti igne subjecto incenderet. Cujusmodi callidum artificium carmini non magis inest quam subdola simulatio vel inepta Terentiae laus. — Denique nescio an pro eodem tempore, quod odae tribui, faciat etiam v. 29., in quo „*plenae Arabum domi*“ commemorantur, nimirum antequam in Arabiam expeditio suscepta esset. Haec omnia me permovent, ut carmen in a. 725. exitum incidere credam; praesertim cum Maecenas poetam non ullo tempore potuerit aptius ad Octavianum celebrandum provocare, quam *brevi post gloriosum ejus reditum.* Atque ita statuerunt post Dacerium Masson. vit. p. 183. et Weichert. p. rel. p. 462. not. 45. — Kirchn. tab. chr.: 726. — Grotef. p. 471.: a. 727.

CARMEN XV. „*Jam pauca aratro*“ a. 726. scriptum, eodem quo carm. 3, 6. huic ab argumento persimile ortum probabile est. Nam vide mihi exitum! Majorum ubi laudavit mores, frugalitatem omnemque vitae habitum, ‚*Nec fortuitum*‘, inquit,

„Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu jubentes et Deorum
Templa novo decorare saxo.“

Estne tandem credibile *fortuito* ab Horatio haec potissimum, quae veterum norma praescripserit, tacta esse? Immo vix dubites quin Augusto voluerit tecte blandiri, qui *veterum legum tenax* a. 726. censuram agens aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas refecit, easque et caeteras opulentissimis donis adornavit, referente Suetonio Octav. 30. fin. cf. Dio 53, 1. 2. Vellej. 2, 89. — Recte igitur eandem quam meam feci rationem inierunt Kirchner. in tab. chr. et Grotef. p. 470. a.

Incerta est aetas **CARMINIS XVI.** „*Otium Divos*", nisi quod post a. 722. scriptum esse debet, quia villa commemoratur v. 37. „*mihi parva rura*". Est etiam quod propter similem colorem carminum libri II. 15. et 18., libri III. 1. 6. et 24. nostrum illis tempore propinquum esse conjicias, exaratumque a. 726. Sed fallunt talia. Grotef. p. 470. b.: 727.

CARMEN XVII. „*Cur me querelis*" a. 728. scriptum esse supra dixi pag. 162. Hoc addo. Non magna potest inter hoc carmen et 13. „*Ille et nefasto*" temporis intercapedo esse, quod Horatius, quantum ex fine intelligimus, sacrificium Fauno promissum nondum exsolverat. v. Vanderb. Interpretes in alia omnia abierunt. Plerique de a. 733. aut 734. cogitarunt. Sed toto coelo hic erravit Massonus, qui in vit. Hor. p. 352. et in hist. crit. tom. V. p. 172. b. carmen a. 743. adscripsit.

Inter **CARMEN XVIII.** „*Non ebur neque aureum*" (evidenter post a. 722. scriptum ob v. 14. „Satis beatus *unicis Sabinis.*") et carm. 3, 24. „*Intact. opulent.*" tanta est sensuum, sententiarum, quin totius compositionis verborumque similitudo, ut utrumque tempore non multum possit inter se distare. Jam cum hoc exeunte anno 725. aut 726. scriptum esse probabile sit (v. p. 147.): non equidem dubito accedere Grotefendo p. 470. a. nostrum carmen a. 726. assignanti, eo minus, quo plura ejusdem animi affectionis, qua poeta indignabundus in aetatis suae luxum invehitur, monumenta certo scimus eodem anno orta esse. Pertinent huc od. 2, 15. 3, 1. et 6. — Secus judicavit Kirchner., dum ann. 729. natalem dubitanter proponit in tab. chr.

CARMINIS XIX. „*Bacchum in remotis*" et **XX.** „*Non usitata*" finis et consilium non minus quam tempus natalicium prorsus latent. Kirchnerus quidem utrumque de conjectura ad a. 735. retulit in tab. chron., Grotefend. p. 474. b. vicesimum ad a. 735. Sed nemo facile ejusmodi

conjecturis fidem habuerit. Peerlkamp. in edit. p. 234. carm. 20. omnium Horatii poematum ultimum scriptum esse conjecit paulo ante mortem, quam poeta sibi ipse consciverit veneno, cum Maecenate jam mortuo superesse nollet nec posset. Quam terribilem opinationem merito deploravit magis quam explosit doctissimus Obbarius in Seeb. Jahn. et Klotz. annal. 1836. vol. 17. fasc. 1. p. 361. In eodem carmine, quod tristis aegrimoniae plenum esse judicavit Peerlkamp., merum lusum jocumque deprehendere sibi visus est summus ille Eichstadius in paradoxorum Horat. libello nescio quoto.

Cap. VI.

De temporibus quibus libri III. carmina scripta sint.

CARMEN I. „*Odi profanum*", a quo poeta sex priorum hujus libri carminum seriem orditur, eorumque, ut ipse ait, *non prius auditorum* h. e. sublimiore argumento a levioribus lyrae suae Amori tantum et vino dicatae lusibus distantium, — non diserta quidem aetatis indicia habet, sed probabili tamen ratione anno 726. assignari potest. (Ita etiam Grotef. p. 470. a.) Reputanti enim mihi singularem sex priorum hujus voluminis carminum naturam cum argumenti delectu tum tractatione plane diversam a reliquis, non dubium videtur esse quin ea non solum singulari de caussa — quaecunque demum fuit — composita et juxta collocata sint, sed temporis etiam cognationem habeant. Jam cum c. 6. „*Delicta majorum*" in confesso sit scriptum esse a. 726., vel ita in eundem primum carmen incidisse jure dixerim. Eo magis autem confidentiloquo mihi licebit hoc in judicio esse, quo major sententiarum et elocutionis similitudo huic carmini intercedit non solum cum sexto, sed etiam cum carm. II. 15. 16. (cf. 3, 1. fin. et 2, 16. fin.) 18. (cf. v. 14. 18. et 3, 1. 33.) et III. 24. eodem tempore compositis. — Kirchn. t. chr.: 736.

CARMEN II. „*Angustam amice*" et ipsum Grotef. p. 470. a. anno 726. edolatum esse dixit. Recte. Primum

enim cum hoc potissimum, in quo diversissima quaeque praecepta saltuatim paene composita sunt, ducumento sit, Horatium non sua sponte et proprio impetu, sed externo quasi stimulo instigatum in usum et fructum Romanorum lyrica forma ad docendum fuisse usum, ita ut unum eundemque sex priorum odarum finem et temporis communionem esse probabile fiat: cogimur fere, ut carmen ad idem tempus referamus, quo sextum exaratum constat. Deinde vero quaerentem me, quo tandem impulsu Venusinus ad haec carmina prorsus singularia scribenda permotus sit, non pudet eorum adstipulari sententiae, qui Horatio vel a Maecenate vel ab ipso Augusto id negotii demandatum esse suspicati sunt, ut virtutis commendatione labenti Romanorum disciplinae succurreret, aequaliumque pectora bonis probisque praeceptis imbueret. Hujusmodi vero provinciam nescio an verisimillimum sit poetae mandatam esse eo tempore, quo ipse Octavianus moribus Romanorum emendandis operam suam navare coepisset. Atqui id factum a. 726. (cf. ad od. 1, 2.). Ergo in eandem aetatem incidimus, qua plurima horum carminum et id ipsum, de quo agitur, stilo signata esse conjeci. Quid quod ejusdem temporis notam petere licet e stropha quinta:

Virtus, repulsae nescia sordidae
Intaminatis fulget honoribus:
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae,

in quibus non immerito suspiceris *Octavianum* significatum esse, qui a. 726. de imperio deponendo cogitaret. Denique maturam odae compositionem suadent v. 3. et 4., unde Parthos plane invictos fuisse discas. — Kirchn. tab. chr.: 733.

CARMEN III. *„Justum ac tenacem“* ob *Augusti* nomen, quod in v. 11. legitur, non potest ante a. 727. scriptum esse. Male autem post Massonum (vit. p. 267.) vulgo refertur ad a. 733., etiam a Kirchn. in tab. chr. et Grotef. p. 472. b. (733 — 734.), maxime propter v. 43 sq.:

— stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis,

in quibus Parthos subactos significari putant et idcirco *signa militaria recepta* subodorantur. Male, inquam. Namque cum nil aliud Junonis verbis insit nisi hoc: „Crescet Romanorum imperium, et subjicient sibi — per me licet — gravissimos hostes Parthos, dummodo ne Troja eorum opera resurgat;" facile perceptu est, *victoriam de Parthis reportandam a poeta exspectari tantummodo, sperari* et *promitti.* Quod eodem cum tempore fecisse credo, quo divinos honores Augusto *ob adjectos imperio Britannos et graves Persas* tributum iri effatus est in carmine hujus libri quinto a. 727. scripto. Etenim circa id tempus Augustus in Britanniam et Orientem expeditiones parabat, de quarum successu cum Romanos summa quaeque sperasse tum poetas finxisse et magnificentissime locutos esse ipsius Horatii testimonio evincitur in carm. 1, 35. 29 sq. et 1, 21. 13 sq. — Quare hoc carmen, in quo et ipso Augustus in deorum numero refertur v. 10., pro ea quam de temporis cognatione horum poematum proposui conjectura eo confidentius a. 727. assigno, quo certius compertum habemus, jam a. 725. ob ipsas res Parthicas Octaviano divinos honores decretos fuisse, narrante Dione Cass. 51, 19. et 20.: *καὶ ἐπειδὴ καὶ τὰ περὶ τῶν Πάρθων γράμματα ἦλθεν, ἔς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου τοῖς θεοῖς ἐσγράφεσθαι* caet.

CARMEN IV. „*Descende coelo*" a. 728 compositum esse probabile fit. Certe non potuit antea, quod arboris casus memoratur v. 27. (cf. p. 162.) Tum in ea, quae leguntur v. 33 sq.:

Visam *Britannos* hospitibus feros
Et laetum equino sanguine *Concanum*,

facillime poeta hoc anno incidere poterat, cum Augustus in *Britanniam* trajecturus Cantabrorum, Asturum et Vaccaeorum rebellione in *Hispaniam* ire coactus esset (Dio 53, 25.). In has remotissimas orbis terras eum ait tute proficisci, qui sub Musarum tutela sit. Neque hac desti-

tutum esse ipsum Augustum, pulcherrime statim in eis qui sequuntur versibus declarat:

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes reddidit oppidis,
Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro;

de quibus v. Passov. vit. not. 253. — Inprimis commendant rationem meam vs. 42 sq., ubi de bruta eorum temeritate loquitur, qui a Musis alieni mitiora consilia spernant et ad nefanda quaelibet audacter molienda prompti paratique impiorum ausorum poenas luant gravissimas. Quid enim? Cum a. 728. *Cornelius* ille *Gallus*, Aegypti praefectus, cui ob ingratum et malevolum animum Augustus domo et provinciis suis interdixit, propria manu perierit (Dio 53, 23. ibique interpr. Sturz. vol. VI. p. 82. not. 156 sq. Sueton. Aug. 66. Ovid. Trist. II, 446. Becker. Gallus vol. I. p. 49. sq.), eodemque tempore *M. Egnatius Rufus* in Augustum conjuraverit (Dio 53, 24. Sueton. Oct. 19.): haud scio an Horatium harum rerum respectu habito ista omnia scripsisse admodum verisimile sit. Certe nemini non permirus et perobscurus poterit videri carminis exitus, nisi poetam re aliqua recens facta commotum in talia incidisse statuas. — Caeterum de tempore hujus carminis secus judicatur vulgo. Masson. vit. p. 131. id a. 721. adscripsit, quo bibliotheca Octaviana condita est, cujus rei Horatium meminisse contendit in vs. 37 sq. Reliqui una fere voce ad a. 733. 34. et 35. (ita Kirchn. tab. chr. et Grotef. p. 474. b.) retulerunt, scilicet falsa sua ratione quam de arboris lapsu inierunt decepti. Quos meliora poterat docere jam vers. 24. *„Seu liquidae placuere Bajae,"* quem antea opinor scripsit, quam ei *„Bajas Musa supervacuas Antonius"* signaret, ut refert in epist. 1, 15. 3. anno ut videtur 731. composita.

CARMEN V. *„Caelo tonantem"* certum est atque evidens non scriptum esse, ut vulgo opinantur, postquam a Phraate signa et captivi remissa erant anno 734. (Kirchner. quaest. p. 31. §. 59.) aut 735. (Masson. vit. Hor. p.

312., Weich. de Var. et Cass. p. 373.). Sed inexsuperabili prorsus vi compelluntur quidam, ut ubivis nil nisi signa et captivos videant, morae quasi impatientes, quod infra demum in od. 4, 15. 6. clara hujus rei mentio facta est:

Et *signa nostro restituit Jovi*
Derepta Parthorum superbis
Postibus et vacuum duellis
Janum Quirini clausit. —

At vero in eo carmine, de quo dicere exorsi sumus, eandem rem respectam esse ita improbabile est, ut nil supra. Quis credat enim Horatium aut tum, cum de reddendis captivis inter Romanos et Parthos ageretur atque de proximo eorum reditu rumor percrebresceret, omnibus paene viribus pro ea propugnasse sententia, ut capti milites in barbarorum captivitate remanerent, aut post reditum tanta in eos acerbitate invectum esse, ut turpissimam iis ignaviam exprobraverit? Profecto nec Augusto nec Romanis gratum fecisset, nec ipsi honori dandum esset, si ultro redditis captivis et signis communem omnium laetitiam intempestiva admonitione turbasset, remque ipsam non tam oblique tetigisset, quam aperte improbasset. Reguli oratio in consimili caussa captivorum redemptionem plane dissuadentis perspicue docet, Horatium tum tantum hoc carmen potuisse exarare, cum vel *exigua spes esset*, fore ut Crassianae cladis ignominia abstergeretur, vel pactiones hac de re cum Parthis initae non habuissent prosperum successum. Consolatur Romanos, qui graviter ferebant, quod nota ista nomini Romano inusta nondum deleta esset, simulque dexterrime Augusto gratificatur, dum id, quod ille summopere exoptabat quidem neque vero consecutus erat, ne expetendum quidem esse clare ostendit. Suspiceris etiam fuisse tum, qui captivos et signa militaria auro redimenda esse censerent. Horum vero consilium gravi indignatione rejicit v. 25.:

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit. Flagitio additis
Damnum.

Sed utut hoc est, ob id ipsum, quod Romani nihildum a Parthis impetraverant ea aetate, qua carmen scriptum, Horatium non quidem insolita sed nimia tamen superlatione usum fuisse judico in vers. 3. et 4.:

— — praesens divus habebitur
Augustus, *adjectis Britannis*
Imperio, gravibusque Persis.,

quo magis appareret, facile quidem amissa posse recuperari, quoniam Parthi sub ditionem Romanorum venissent (!), neque tamen id decere. Praeterea hi ipsi versus bona temporis indicia continent, quae si recte cepissent interpretes minus judicassent perverse. Ac primum quidem cum dicat poeta, Augustum praesentem *habitum iri* divum adjectis Britannis caet., manifestum est in medio relinquendum esse, utrum Britannos Persasque jamjam subactos significare voluerit, an Augusto *fortasse in ipsa expeditione versanti* spoponderit tantummodo divinum honorem, si istas gentes revera prostraverit. Inde apparet, quanta injuria interpretes postrema maxime verba *„gravibusque Persis"* ita presserint, ut negent alio ea tempore scribi potuisse, quam quo ultro remissis signis captivisque Parthia Romano imperio addita esse omnino credi potuerit. Deinde vero fac Horatium non promisisse et sperasse victoriam de istis nationibus reportandam, sed factum aliquod respexisse. Ne sic quidem omnia mirifice aucta et amplificata esse negare poteris. *Britannos adjectos* dicit imperio; tanquam eorum terra magna expeditione expugnata fuerit. *Atqui nunquam nec Augustus nec ejus legati in Britanniam transmiserunt.* Nam quod Dio Cass. 50, 24. Octavianum in oratione ante pugnam Actiacam ad milites habita inter alia facta gloriosa etiam expeditionem in illam insulam susceptam fecit commemorantem, id, cum nulla re confirmetur, vel ex orationis ornatu et impetu deducas vel inde, quod haud dubie permulti milites duplici Julii Caesaris expeditioni (Dio Cass. 39, 50—54. 40, 1. 2. Strab. libr. IV. 5. pag. 200.) interfuerant. Octavianus a. 719. in Britanniam abiturus erat. Sed motibus in Pannonia ortis captum consilium abjecit (Dio 49, 38.). Denuo

suscepit expeditionem a. 727. Remansit tamen in Gallia, *cum Britanni visi essent mittere qui paciscerentur* (Dio 53, 22.), neque ipsa Gallia satis esset pacata. Anno 728. simile ejus consilium orta Salassorum, Cantabrorum et Asturum rebellione irritum cecidit (Dio 53, 25.). Ad hunc temporis tractum, neque vero, ut commenti sunt interpretes, ad a. 734. vel 735. pertinere videntur Strabonis verba in libr. IV. cap. 5. p. 200.: *Νυνὶ μέν τοι τῶν δυναστῶν τινες τῶν αὐτόθι πρεσβεύσεσι καὶ θεραπείαις κατασκευασάμενοι τὴν πρὸς Καίσαρα τὸν Σεβαστὸν φιλίαν, ἀναθήματά τε ἀνέθηκαν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ, καὶ οἰκείαν σχεδὸν παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον.* cf. Passov. vit. not. 249. — Horatium autem intelligitur non alio facile tempore hoc carmen scripsisse, quam a. 727. aut 728., cum ad Augustum in Gallia commorantem Britanni ultro misissent legatos. Qua de re cum Romam nuntius perlatus esset, erat sane quod poeta Augusto, a quo perterriti hostes pacem petiissent, divinam vere potentiam tribueret, eumque ex expeditione reducem a Romanis tanquam deum cultum iri auguraretur. Nec male auguratus est. Nam imperator a. 730. insigni omnium Romanorum studio exceptus et permultis denuo honoribus affectus est. Tunc ipsum legibus solvebatur (Dio 53, 26. et 28.).

Quo jure autem isto tempore Britannos, eodem Persas imperio adjectos dixit. Nam jam a. 725. Octavianus, ut saepius vidimus, Parthica attigerat et propterea tantam Romanorum inierat gratiam, tantamque gloriam meritus erat, ut divini honores ei decernerentur (Dio 51, 21.). Tum per a. 726. et 727. bellum moliebatur contra Orientem et duos conscripserat exercitus, quorum alterum in Orientem missurus, alterum ipse ducturus erat contra Britannos. cf. od. 1, 35. 3, 3. Nihil impedit quominus duas has expeditiones ab Horatio respectas esse arbitremur et ita respectas, ut prosperrimum earum exitum aut promiserit aut cognito uno alterove facto majore quidem jure sed pro poetarum more depinxerit. Fieri etiam potuit, ut rumore aliquo Romam perlato — sive verus sive falsus fuit — in talia inciderit. Quis neget enim tum cum

Augustus in expeditionibus versaretur alia omnia, vera et falsa, creberrime Romanis nuntiata esse? Jam Dio Cass. 53, 19. conqueritur, Romanarum rerum historiam inde ab anno 727. incertissimam esse et fide saepe destitutam!

Itaque carmen per ann. 727. et 728. exaratum dico. Noli autem propter „*subactos Parthos*" de anno 730. vel 731. cogitare, cum Augustus Parthicarum dissensionum inter Phraatem et Teridatem coortarum summus arbiter factus esset (Dio 53, 33. cf. quae dixi de od. 1, 26. 2, 2. 3, 8.). Illo enim tempore si scripsisset Horatius carmen, haud dubie non tam Britannorum quam Cantabricae expeditionis meminisset. Praeterea tum odam exaratam esse oportet cum Augustus Roma abesset.

CARMEN VI. „*Delicta majorum*" non ita multo post bella civilia a. 724. ad finem perducta conceptum esse, tum argumentum docet, in quo *omnium calamitatum, quae imperium Romanum afflixerint,* caussa a religionis contemptu et morum corruptela petitur, tum quod in vers. 13. et 14.:

Paene occupatam seditionibus
Delevit urbem *Dacus* et *Aethiops;*

(v. Passov. vit. not. 248.) bellum Octaviani et Antonii, qui *Dacos* quoque (Dio 51, 22.) et *Aethiopes* (Plut. Ant. p. 944. cap. 61. fin.) sibi adjunxerat, *nuperum* memoratur. Gravius ipsum exordium est, in quo poeta Romanos ad templa reficienda cohortatur. Inde enim rectissime concludunt carminis occasionem ab eo sumptam esse, quod Octavianus a. 726. urbi ornandae templisque reficiendis curam impenderit et jam tum de moribus emendandis cogitaverit. cf. od. 2, 15. p. 183. Nec dubium est quin eo anno scriptum sit. Signa et captivos a Parthis nondum restituta fuisse v. 9—12. comprobatur. Adi sis Masson. vit. Hor. p. 190 sq., Kirchn. quaest. p. 10. §. 21. p. 31. §. 59., Grotef. p. 470. a. et compara carmina, quae et ipsa a. 726. orta esse vidimus, huic ab argumento persimilia II. 15. 16. 18. III. 1. 2. 24.

CARMEN XIII. „*O fons Bandusiae*" Grotef. p. 469. b. aestate a. 725., et Kirchn. quaest. p. 31. §. 57 —

59. et p. 60. §. 17. a. 717. scriptum esse conjecerunt, ille me judice probabilius hoc. Sed quotusquisque erit, qui alteriutri credat? —

CARMEN XIV. „*Herculis ritu*“ scriptumne sit a. 729. vergente an initio sequentis, non nihil ambigi potest. Nam quamquam manifesto in hoc temporis spatium incidit, cum Cantabrico bello confecto de Augusto ex Hispania mox redituro Romam perlatus esset nuntius (cf. od. 3, 8.), id ipsum tamen quando factum sit non liquet. Etenim cum Cantabri et Astures jam initio anni 729. a Cajo Antistio — Augustus morbo correptus decubuit Tarracone — perdomiti essent (Dio 53, 25. *Γάϊος δὲ Ἀντίστιος προσεπολέμησέ τε αὐτοῖς ἐν τούτῳ, καὶ συχνὰ κατειργάσατο.*), fieri poterat, ut eodem anno Augustus — qui ab anno 727. Roma aberat (Dio 53, 22.) — et reditum pararet et Romae etiam narraretur proxime rediturus esse. Augustum enim convaluisse et exeunte anno 729. Tarracone decessisse patescit inde, quod octavum tantum et nonum consulatum (728. et 729.) hac in urbe iniit, referente Sueton. Aug. 26. fin. Quocirca carmen Horatianum jam a. 729. scribi potuit. Sed potuit etiam proximo. Nam Augustus denuo morbo temptatus decimo demum consulatu i. e. anno 730. Romam rediit (Dio 53, 28.), fortasse aestate, si accedas *Norisio*, qui in Cenotaph. Pisan. p. 260. ex particula inscriptionis (Gruter. inscr. p. CCXXXIV.):

.[NOR]BANO FLAC. COS.
EID. IVIN.
. . . . . CAESAR VALETVD.

non male conjecit Augustum Id. Jun. a. 730. valetudinem recuperasse et tum demum Romam revertisse. Postquam abiit ex Hispania, Cantabri et Astures iterum motus excitarunt; mox tamen a L. Aemilio domiti sunt (Dio 53, 29.). Ante id tempus carmen exaratum sit necesse est (cf. v. 4.). Interpretes ad unum omnes referunt ad a. 730. cf. Masson. vit. Hor. p. 217 sq. et Jani templ. reserat. p. 98. Kirchn. quaest. p. 10. §. 21. p. 28. §. 53. Grotef. p. 472. a. Non tamen audiendus Sanadonus: „Celle-ci paroit faite *le jour*

même que ce prince arriva à Rome." quasi Horatium, cum Augustus post trium annorum absentiam urbem intraret, intra parietes commoratum esse verisimile sit.

CARMEN XVI. *„Inclusam Danaen"* constat post a. 722. exaratum esse, quod poeta villam jam possedit (v. 25 sq.). Praeterea nil de aetate scimus. Certiora tamen proferre conati sunt Kirchner. et Grotef., quorum ille in tab. chr. odam ann. 731. adscripsit, hic (p. 470. a.) anno 726. Verum insuper ejus finem Grotef. ita sibi videtur perspexisse, ut Horatium se excusare voluisse dicat, cum epistolarum officium ab Octaviano oblatum recusaverit.

CARMEN XVIII. *„Faune Nymphar."* quamquam non magis natale tempus prodit quam praecedens *„Aeli vetusto"* tamen a Kirchnero in tab. chr. ad a. 732. et a Grotef. (p. 469. b.) ad Non. Decembr. a. 725. relatum est. De die concedo. At mitto annum.

CARMEN XIX. *„Quantum distet ab Inacho"* manifestum est ante a. 732. scriptum esse, quo ***L. Licinius Varro Muraena,*** frater C. Proculeji (od. 2, 2. 5.), M. Terentii Varronis Muraenae (v. Masson. vit. p. 304.) et Terentiae, una cum ***Fannio Caepione*** in Augustum conspiravit. (cf. pag. 62. et p. 181.). In hujus honorem, quippe qui recens augur factus sit, pocula misceri jubet v. 10. Horatius. Jam cum sub finem Glycerae se amore torreri confiteatur, id quod per a. 729. et 730. accidisse e carm. 1, 19. verisimile fit: aliqua certe probabilitatis specie hoc odarion circa id tempus sed post od. 1, 19. et quidem hieme (v. 8.) confectum dixeris. Atque ita statuit Kirchn. quaest. p. 10. §. 21. — Male Passov. vit. not. 214. p. LXXXVIII. de annis 732. et 33. cogitavit. —

CARMEN XXI. *„O nata mecum"* quando compositum sit, dici nequit. Nihilominus Sanadonus id ad a. 722. et Masson. vit. Hor. p. 140. ad a. 723. retulerunt, plau-

dente Kirchnero in quaest. p. 10. §. 22. Dissentit Grotef. p. 470. b., dum a. 727. natalem habet.

CARMEN XXIV. „*Intactis opulentior*" jam supra, cum de od. 1, 2. dicebam, observavi per a. 725—726. scriptum videri ob vs. 25 sq. Idem suadet cum argumentum tum sententiarum decursus singularum, quae sponte tibi in memoriam revocant od. 2, 15. 16. 18. 3, 1. et 6. Nec dissentiunt magnopere interpretes. Nam antiquiores fere omnes carmen ante a. 724. exaratum esse censuerunt; Kirchnerus autem in quaest. p. 10. §. 22. a. 726. et Grotef. p. 470. b. anno 727. Cum Octavianus jam a. 726. de moribus emendandis cogitaverit, non dubito quin oda aut ante hunc a., aut ad summum eo ipso scripta sit. Singula rerum momenta v. apud interpr. Multo ante a. 730. odam edolatam esse docebit te initium.

CARMEN XXV. „*Quo me Bacche rapis*", cum totum versetur in divinis honoribus Octaviano tributis tribuendisve (v. 4.), quos poeta summa enthusiasmi vi abreptus subliniore aliquo cantu celebrare occipit, admodum probabile est perscriptum esse a. 725. aut 726., quo tempore communis populi Romani assentatio eaque vel vera rerum gestarum admiratione vel foeda adulatione coorta potentem Octavianum in deorum numerum retulit (cf. od. 3, 3.). Ita jam Sanadonus judicavit, haec super odae tempore disserens: „Ce qu' on peut avoir de plus assuré pour la date de cette ode, c' est qu' elle n' a pas été fait avant la consécration d'Octavien. Je ne suis pas même éloigné de croire que cette consécration en est le véritable sujet, et si cela est, on doit l'attacher à l'année 725." Huic adstipulatur Vanderb. et quodammodo Kirchn. (726.).

CARMEN XXVIII. „*Festo quid potius*" mense Julio et quidem a. d. V. Calend. Aug., quo Neptunalia celebrabantur, confectum esse videtur. Sed annum natalem non posse indagari confitentur omnes. Mireris igitur, quod Grotef. p. 470. b. odarion confidenter assignavit a. 727., Kirchner. autem a. 732.

CARMEN XXIX. *„Tyrrhena regum"* — quod Massono duce (vit. Hor. p. 273.) vulgo referunt ad aestatem a. 733. aut a. 734. (ita Grotef. p. 472. b.) — anno 729. medio scriptum esse supra dixi, cum de od. 3, 8. disputabam. Cum Seribus vel potius Indis anno 729. Romanis rem fuisse apparet ex od. 1, 12. 56. Tum *„regnata Cyro Bactra"* facile vides pertinere ad civilem Parthorum discordiam, cujus participes erant discordes Tanaitae. (cf. p. 161. et 165.) Fortasse de rerum Orientalium statu, de Parthorum, Scytharum Indorumque ausis haud optati rumores increbruerant.

Confectis tribus carminum libris, quorum ordinem et tempora praetervecti sumus, Horatius exeunte a. 730. aut initio sequentis composuit *Carmen libri 3. 30. „Exegi monumentum"* et *Carmen libri 1. 1. „Maecenas atavis"*, illud ut epilogo hoc ut prologo inserviret.

Cap. VII.

De temporibus quibus epistolae libri I. scriptae sint.

EPISTOLA I. temporis indiciis caret. Sed cum prologus libri sit, probabile est eam extrema parte a. 734., qua syllogen pervulgatam esse vidimus, exaratam esse. Cui rationi nil obstat. Quin eo certior mihi videtur esse, quo clarius poetae consilium ex epistola elucet. Non se aptum amplius paratumque esse ait ad res ludicras et ad carmina levioris argumenti pangenda. Totum se versari in philosophiae studio. Idque prae caeteris dignum esse quod ab omnibus enixe tractetur, quoniam nemo non diversissimis animi morbis affectus, philosophia autem certissima et probatissima omnigenarum animi perturbationum medicina sit. Summa igitur epistolae sententia in philosophiae commendatione posita est (cf. v. 106 sq.). Sed qua de caussa philosophiam commendavit? Propterea opinor, ut totum libellum, cujus maxima pars tantum a lusibus recedit, quantum in sapientiae penetralia penetravit poeta, Maecenati a pretio commendaret eoque graviorem et justiorem inde peteret excusationem, quod non carmina lyrica, sed res serias serio sermone peractas amicissimo fautori offerret. Non poterat dexterius et aptius praefari.

Permirum et plane incredibile est commentum *Kirchneri,* qui in quaest. p. 46. Horatium statuit a Maecenate excitatum, ut Drusi Neronis victoriam de Vindelicis anno 739. reportatam carmine celebraret, honorificum id munus

hac in epistola non detrectasse quidem, sed de mandato questum esse. Ab hac opinione progressus epistolam a. 739. compositam atque aut hoc aut sequenti editam esse statuit. *Obbarius* falsa nixus ratione, quam Kirchn. de carminum temporibus proposuit, epistolam non ante a. 736. scriptam esse autumat in noviss. ep. edit., quam una cum Th. Schmidio parat, fasc. I. (Lips. 1837.) p. 28.; *Weichert.* poet. rel. pag. 458. non ante a. 737.

EPISTOLAM II. „*Trojani belli*" ad Lollium adolescentem, filium natu majorem M. Lollii, qui a. 733. consul fuit, datam esse in confesso est. Eidem scripta est epist. 18. cf. interpr. et Masson. vit. p. 262 sq. 324 sq., Kirchn. quaest. p. 33. §. 62., Grotef. p. 475. a. Sed de tempore inter se discrepant. Sanadonus epistolam a. 725. aut 726. factam esse statuit, Kirchn. l. l. et Obbar. in nov. ep. edit. fasc. II. (Lips. 1838.) p. 135. anno u. c. 727., alii alio. Equidem utramque epistolam (2. et 18.) aetate non multum distare censeo. Et cum 2. haud dubie antecesserit duodevicesimam, quae ob v. 56. anno 734. scripta est, nescio an jure illam dicam per proximos annos priores exaratam esse. Lollius a. 729. cum Octaviano in Hispania fuit, ut discimus ex epist. 18, 15. Cujus rei quamquam in ep. 2. nulla mentio facta est, nil tamen cogit, eam ut ante Cantabricam expeditionem scriptam putes. Nam quod *puer* dicitur, id neminem morabitur, qui ea voce adolescentes frequentissime insigniri meminerit. Ipse Horatius Lollium scribit Cantabrica bella tulisse *puerum*, etsi haud dubie octavum decimum aetatis annum excesserat. M. Tullius, ut alia taceam, Octavianum vicesimum annum agentem puerum nuncupavit ad div. 12, 25. — Kirchnerus quidem l. l. Lollium sedecim fere annorum fuisse statuit, cum epist. 2. ad eum scriberetur. Ego vero tam severam et gravem praecipiendi rationem, quali hac in epistola Horatius usus est, et tam sublimem admonitionem eamque de rebus factam, quae non puerorum sed adultorum hominum sunt, isti aetatulae nequaquam convenire crediderim. Quare aut fallit me poematis color atque indoles, aut Lollius aliquanto

provectior aetate fuit. Idque ipsum me permovet, ut epistolam post Cantabricam demum expeditionem scriptam esse credam. Cantabrica bella Lollius *puer* tulit, ut ait Horatius. Jam fac eum vicesimo fere aetatis anno ex Hispania revertisse. Negabisne epistolam 2. vel brevi post reditum viri juvenis vel paulo longiore temporis spatio interposito componi potuisse? Vereor ut unquam potuerit aptius. Quid enim? Ea tum maxime aetate erat Lollius, quae consiliis et cohortationibus praecipue indigeret. Ea erat aetate et intelligentia, qualem fere doctus et severus epistolae sermo requirit necessario. Ea erat aetate, ut merito ab Horatio ad philosophiae studia tractanda excitari posset (v. 33 sq.). Ea denique aetate, ut a poeta viginti fere annis natu grandiore jure posset *puer* dici. Ita epistolam 2. intra annos 730. et 734. conceptam esse verisimile fit. Quo in judicio comprobando adjuvamur etiam versu 52.:

> Qui cupit aut metuit, juvat illum sic domus et res,
> Ut lippum pictae tabulae, *fomenta podagrum*,
> Auriculas citharae collecta sorde dolentes.,

ubi fomenta h. e. calida tegumenta lenire negantur podagrici dolores. Reputanti enim mihi, eam curandae podagrae rationem, qua *calida fomenta* adhiberentur, apud Romanos in usu et honore fuisse usque ad annum fere 731., quo Augustus ab Antonio Musa primum *frigidis fomentis* uti jussus sanitatem recuperavit, non improbabile videtur esse ab Horatio methodum istam, quae nec usu satis comprobata et post nobilitatam Antonii Musae curationem penitus explosa esset, oblique tactam esse. Audi Sueton. Octav. 81.: „contrariam et ancipitem rationem medendi necessario subiit, quia *calida fomenta* non proderant, *frigidis* curari coactus, auctore Antonio Musa.“ Schol. *Cruq.* ad epist. 1, 15. 3.: „Antonius Musa aegritudine Augusti artem suam illustravit; nam cum *dolore arthritico* laboraret et ad summam maciem perductus esset, curante Aemilio medico, qui eum adeo *calidis* curabat, ut tectum cubiculi ejus *velleribus* muniret, hic postea in contrarium versis omnibus non solum *perfusionibus frigidis*, sed etiam gargarismis caet. usus est, ita ut intra breve

tempus eum curaret. cf. Dio Cass. 53, 30. 31. et Sueton. Aug. 59. — Plin. h. n. 25, 7. (38.): „Frater is fuit Musae, a quo Divum Augustum conservatum indicavimus. Iidem fratres instituere a balineis *frigida* multa corpora adstringere. Antea non erat mos, nisi *calida* tantum lavari, sicut apud Homerum etiam invenimus." Id. libr. 29, 1. (5.): „Sed et illa Antonius Musa ejusdem auctoritate Divi Augusti, quem *contraria medicina* gravi periculo exemerat."

Quodsi Horatius revera antiquatam medendi rationem cum levi contemptu respexit, epistolam oportet scriptam esse vel ipso anno 731. vel brevi post. Atque ita nil habet miri, quod laesa sententiarum concinnitate *fomenta* commemorantur. Alioquin non dubitarem cum Buherio scribere *tomenta*.

EPISTOLA III. *„Juli Flore"* a. 734. perscripta est, cum Tiberius ab Augusto in Asiam missus erat, ut Tigranem in Armeniae regnum deduceret. Dio Cass. 54, 9. Vellej. 2, 94. Sueton. Tib. 9. Tac. Ann. 2, 3. Strab. libr. 17. p. 821. Horat. epist. 1, 12. 26. Tiberii in cohorte *Julius Florus* erat, cui epistola inscripta est. cf. Masson. vit. Hor. p. 285 — 87. et Jani templ. reser. p. 115. et 149.

EPISTOLA IV. *„Albi nostrorum"* ante a. 736. Tibulli emortualem scripta sit necesse est et post ann. 722., quo Tibullus primum Horatium nosse poterat. (cf. od. 1, 33. p. 168.). Certiora vero qui quaerunt ii inanem insumunt operam. Masson. in vit. Hor. p. 155. assignavit epistolam a. 723., Spohn. de Tib. vit. p. I. c. 5. eique qui adstipulati sunt Jahn. p. 274., Passov. vit. not. 152., Kirchn. quaest. p. 5. §. 9. anno 729.; Weichert. de Var. et Cass. p. 238. et Grotef. p. 473. annis 733. et 34. — Cui igitur fidem habebis?

EPISTOLAM V. *„Si potes Archiacis,"* quae ex Weicherti (de Var. et Cass. p. 304 sq. cf. od. 4, 7.) conjectura ad C. *Nonium Asprenatem Torquatum* data est, aliquot annis post a. 728. scriptam esse efficitur versu 4., in quo Torquato *vina Tauro iterum cos.* (i. e. anno 728.)

diffusa ad potandum promittuntur. Neque tamen est quod ultra a. 734. epistolam proferas, praesertim cum vinum haud optimae notae fuerit, testante v. 6.:

„*Sin melius quid habes, arcesse vel imperium fer.*"

Galenus quidem apud Athen. I. p. 26. inter vina Italica nullum enumerat, quod ante quintum annum *ἐπιτήδειον πίνεσθαι* sit, et *Falernum* — cui cognatum quodammodo dicas vinum ab Horatio hic memoratum — scribit a decimo anno *πότιμον* esse *καὶ ἀπὸ πεντεκαίδεκα μέχρι εἴκοσιν*, vetustius vero *κεφαλαλγικόν*. Huic tamen non magnopere confidendum esse inde liquet, quod Sabinum a septimo demum aetatis anno bibi posse dixit, quamquam Horatius idem vinum *laudet quadrimum* in od. 1, 9. 7. (cf. od. 1, 20. p. 162.). Quare non videtur dubitandum esse quin vinum a. 728. conditum post quinque sexve annos ab Horatio depromptum sit. Sed nil tribuerim Massoni conjecturae, qui in vit. Hor. p. 208. hanc epistolam biennio post a. 728. compositam esse autumat, nempe quod in v. 24. Cornelii Galli nex a. 728. facta respecta sit. Nam ut taceam ne levidensem quidem mentionem de Gallo injectam esse, nescio an vinum inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum natum vili fuerit vilius, si bimum fuit. Praeterea aliud est indicium, quod non solum Massoni rationem evertit, sed suadet etiam, ut *ipso anno 734.* exaratam dicas epistolam.

Horatius enim Torquatum a negotiis et curis ad hilarem coenam avocaturus hoc utitur argumento v. 9.:

— *Cras nato Caesare festus*
Dat veniam somnumque dies: impune licebit
Aestivam sermone benigno tendere noctem.

In his verbis ambiguum est, utrum *Divi Julii Caesaris* an *Augusti* diem natalem significaverit. Non commemorabo enim Rodellii et Sanadoni sententias ad *Gajum Caesarem*, Juliae filium, anno 734. natum (Dio 54, 8.), haec referentium, quos Massono (vit. Hor. p. 208.) et Schmidio (in edit. ep. 1. p. 120.) rectius refutavit Weichert. de Var. et Cass. p. 314. — Plerique praeeunte Schol. Porphyr. *C. Julii Caesaris* diem natalem intelligendum esse arbi-

trati sunt. Qui cum natus sit *a. d. IV. Id. Quint.* (cf. Kalendar. Amitern. et Antiatin. in *Orellii* inscriptt. lat. vol. II. p. 394. et Macrob. Sat. 1, 12.) a. u. c. 655., non, ut Porphyr. tradit, ipsis Idib. Quint., apparet huic diei aptissimam esse *noctem* quam memorat Horatius *aestivam*. Et post mortem etiam Julii Caesaris diem natalem festum actum esse testatur Dio Cass. libr. 47. cap. 18., qui Cal. Jan. a. 712. a Triumviris publicam ejus celebrationem institutam et decretam esse scribit. Non mirum igitur, quod hanc explicationem permulti amplexi sunt, nuperrime etiam Schmid. et Grotef. p. 474. a. Vereor tamen magnopere ne praestet altera. Nam primum nusquam memoriae proditum legimus, Julii Caesaris natalicia etiam post pugnam Actiacam celebrata esse. Deinde jam Masson. (vit. p. 209.) observavit rectissime, divum Julium non potuisse simplici ac nudo *Caesaris* nomine designari, sed debuisse aliquid addi, quo ejus apotheosis significaretur, praesertim cum in Horatii carminibus simplex *Caesaris* nomen ubivis de *Augusto* intelligendum sit.

Quocirca cum Massono et Weicherto de Var. et Cass. p. 316. *Augusti diem natalem*, qui *in IX. Cal. Octobr.* incidit, in epistola significatum esse censeo, etiamsi huic sententiae obstet quodammodo, quod coena *nocte aestiva* parabatur. Nam *„pridie Idus Augusti auctumnus incipit"*, ut ait Columella r. r. 11, 2. 57., et *„VIII. VII. et VI. Cal. Octobr. aequinoctium auctumnale pluviam significat"* eodem referente l. l. §. 66.

Scite tamen Masson. p. 210. animadvertit, paulo liberiore loquendi usu noctem d. 22. et 23. Septembr. interjectam omnino *aestivam* dici potuisse, cum aequinoctium nondum praeteriisset; apteque confert Virg. Georg. 1, 311.:

Quid tempestates auctumni et sidera dicam?
Atque, ubi jam breviorque dies et mollior *aestas*,
Quae vigilanda viris.

Et quidni poeta bona tempestate vel mens. Sept. aestivam fere noctem auguratus fuerit?

Quodsi igitur epistola d. XXII. Septembr. exarata est, vide ne *annus* quoque natalis ita inventus sit. Nam quam-

quam *Augusti dies natalis* ex Patrum decreto jam inde ab a. 725. festus agebatur (Dio 51, 19. *ἔν τε τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ καὶ ἐν τῇ τῆς ἀγγελίας τῆς νίκης ἡμέρᾳ ἱερομηνίαν εἶναι — ἔγνωσαν.*), majore tamen apparatu et splendore primum concelebratus esse videtur *anno u. c.* ***734.***, quippe quo ludos equestres editos et venationes ab aedilibus institutas fuisse narrat Dio 54, 8. (*ἰδίᾳ δὲ δὴ οἱ ἀγορανόμοι ἱπποδρομίαν τε ἐν τοῖς τοῦ Αὐγούστου γενεθλίοις καὶ θηρίων σφαγὰς ἐποίησαν.*). Quod si jam prius factum fuisset, haud dubie scriptor memorasset. Postea enim identidem hujus rei meminit. cf. lib. 54, 26. et 34. 56, 29.

Itaque Horatii *epistola* pridie sollemnem diei natalis Augusti celebrationem primum a. 734. magnifica pompa institutam i. e *XXII. Septembr. a.* ***734.*** scripta est. — Grotef. p. 474. a.: pr. Id. Jul. 735.; Kirchn.: 733.

EPISTOLA VI. „*Nil admirari*" ob v. 26. „*Cum bene notum Porticus Agrippae et via te conspexerit Appi*" post a. 729. composita esse debet, sive porticum prope Pantheon ab Agrippa *a.* ***729.*** *confectam* (Dio 53, 27. *τό τε Πάνθειον ὠνομασμένον ἐξετέλεσε*) intelligis, sive cum Weicherto *porticum Neptuni* vel *Argonautarum* eodem anno ab Agrippa exstructam. Praeterea nil inveneris. — Masson. vit. Hor. p. 213. epistolam assignavit a. 729., Kirchn. t. chr. a. 738. (!), Grotef. p. 474. a. 735. —

EPISTOLA VII. „*Quinque dies*" a Massono (vit. Hor. p. 231.), Sanadono, Weicherto (p. rel. p. 458.) et Kirchn. (tab. chr.) anno 731. adscribitur haud improbabili conjectura. Nam quod dicit Horat. v. 11.: „*Quodsi bruma nives Albanis illinet agris, Ad mare descendet vates tuus et sibi parcet,*" id referunt ad iter, quod hieme a. 731. Veliam et Salernum suscepisse videtur (epist. 15.). — Grotef. p. 474. a. epistolam mense Septembri a. 735. compositum esse censet.

EPISTOLA VIII. „*Celso gaudere*" Celso Albinovano, comiti scribaeque Neronis, scripta haud dubie refe-

renda est ad a. 734., cum Tiberius in Armenia versaretur (cf. epist. 3. et Masson. p. 297.). Eodemque anno ortam esse probabile est *epistolam* IX. „*Septimius Claudi*", quamquam Masson. vit. p. 258. et Kirchn. hujus annum natalem habent 732.

EPISTOLA XII. „*Fructibus Agrippae*" optimas temporis notas habet in exitu:

Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; jus imperiumque Phraates
Caesaris accepit genibus minor,

ut dubitari nequeat quin auctumno a. 734. scripta sit. Hoc enim Cantabri ab Agrippa plane subacti sunt (Dio 54, 5.). Et cum Armeniae regnum per Tiberium Artaxiae ademptum et Tigrani traditum esset, Parthi autem appropinquante Augusto remisissent signa militaria: harum rerum pro more poetarum ita meminit Horatius, quasi Parthi et Armenii domiti et subacti essent. Praeter interpr. cf. Masson. vit. p. 298. et Kirchn. quaest. p. 31. §. 58. p. 34. §. 62. — Weich. de Var. et Cass. p. 136. et Grotef. p. 474. b. epistolam ad a. 735. referunt.

EPISTOLAM XIII. „*Ut proficiscentem*" poeta aut exeunte a. 730. aut sequenti scripsit in villa, cum tria carminum volumina Augusto missurus erat. Fictam eam esse, neque Vinio isti Asellae sed ipsi potius Augusto redditam, persuasissimum mihi est. (Kirchn. quaest. p. 37. §. 65. a. 736.) Quae sequitur et ipsa ficta. Nunquam enim Horatium ad villicum elaboratissimas has literas dedisse credam.

EPISTOLA XV. „*Quae sit hiems*" non facile potest ante a. 731. exarata esse, cum hoc demum Antonius Musa, cujus v. 3. mentio fit, Augusti curatione celebritatem nactus sit. Sed in incerto est, utrum epistola hoc ipso anno composita sit, ut post Masson. vit. p. 229. plerique statuerunt, an posteriore tempore.

EPISTOLA XVIII. „*Si bene te novi*" aperte annum 734. natalem prodit in v. 56 sq.:

— „Cantabrica bella tulisti
Sub duce, *qui templis Parthorum signa refigit*
Nunc et si quid abest Italis adjudicat armis.",

quos explicare supervacaneum est. Rem interpretes exposuerunt, ubicunque Parthi in Horatii carminibus memorantur. cf. Masson. vit. p. 218. et Kirchn. quaest. §. 62.

EPISTOLA XIX. *Prisco si credis*" in ultimis hujus libri fuisse videtur. Quo in judicio convenit mihi cum interprett. Sed respuo eorum rationes. Kirchner. enim eam a. 739. exaratam esse conjecit, Grotef. p. 475. b. ante a. 737.; ego vero a. 734.

EPISTOLAM XX. „*Vertumnum Janumque*" evidens atque certum est scriptam esse a. 734. ante d. VI. Id. Decembr., poetae natalem. v. pag. 74.

Cap. VIII.

De temporibus quibus libri IV. carmina scripta sint.

CARMEN I. *„Intermissa Venus diu"*, in quo Horatius poesin lyricam pridem intermissam retractaturus se amoribus rursum incalescere ingeniose fingit, quinquagesimo fere aetatis anno i. e. a. 739. vel 740. lusit, ut discimus e vs. 4. sq.:

— Desine, dulcium
Mater saeva Cupidinum
Circa lustra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis.

Sed vides incertiorem his inesse temporis notam, quam ut *accurate* annum indages, quo Horatius carmen scripserit. Possit quidem videri decimum lustrum nondum clausisse (ita judicat Grotef. p. 475. b.), id quod factum esse oportet a. d. VI. Id. Decembr. a. 739., non, ut perperam dixit Weichert. de Var. et Cass. p. 59. not. 50., a. 738. Sed cum prologus sit carmen, vereor paene ne confecto demum libro anno 741. omnium postremo exaratum sit. Plerique referunt ad a. 739., profecto ut falsi sint non multum falsi. — Masson. vit. Hor. p. 326. rem in medio reliquit.

CARMEN II. *„Pindarum quisquis"* anno 739. scriptum esse probabile est, cum Augustus Sygambris victis mox Romam rediturus esse et narraretur et crederetur. Abierat in Galliam L. Domitio et P. Cornelio Scipione Css.

i. e. anno 738. et quidem post celebrationem ludorum Actiacorum, h. e. post d. IV. Non. Sept. (Dio 54, 19. fin. Masson. Jani templ. reserat. p. 174.), coorta quidem bella huic profectioni praetendens, revera tamen, si fides habenda Dioni Cassio l. l., quod propter diuturnam et perpetuam praesentiam permultis se molestum invisumque factum esse probe intelligeret. Fuerunt etiam qui propterea eum reliquisse urbem suspicarentur, ut eo liberius Terentiae amori posset indulgere, de qua re multi Romae rumores sparsi erant. Poterant sane talia permovere Augustum, ut Roma abiret — nam ficta ea esse et falsa injuria dixeris — sed primaria tamen itineris caussa haud dubie ea erat, ut turbulentos transalpinarum gentium motus coerceret. Nam ut multi omnino eo temporis tractu contra Romanos arma sumpserant (Dio 54, 20.): ita maximum et gravissimum bellum adversus Germanos gerendum erat. Idque ipsum Dio se corrigens in caussa fuisse dicit, ut Augustus urbe abierit. *Sygambri* enim *Usipetae* et *Tenchteri* cum jam antea Romanos quosdam suis in finibus deprehensos cruci affixissent, tum Rhenum transgressi Galliam devastarant, equitatum Romanum contra se missum per insidias circumvenerant et a fugientibus usque ad Lollium praefectum praeter opinionem tracti hunc quoque vicerant. Quae turpis Lollii clades, qua quintae legionis aquila amissa est (cf. Dio 54, 20. Vell. 2, 97. Tac. Ann. 1, 10.), etiamsi majoris infamiae quam detrimenti esset, ut ait Sueton. Oct. 23., impulit tamen Augustum, ut istos populos citissime ipse aggrederetur. Neque tamen opus erat pugna. Nam barbari ut Lollium arma parare et Augustum cum exercitu appropinquare cognoverunt, in terram suam recedebant et obsidibus datis pacem paciscebantur. 'Haec omnia facta sunt sub finem anni 738. Nam Augustus reliquis rebus constituendis intentus *extremam anni 738. partem* et proximum consumpsit, cum et a Germanis et a Licinnio, Galliae procuratore, multa commissa essent, narrante Dione Cass. 54, 21. Quamquam igitur pax cum Germanis a. 738. facta non id effecisse videtur, ut omnes ubivis motus compressi fuerint continuo: reditum tamen Augusti probabile est jam

tum exspectari et sperari coeptum esse Romae, cum de Sygambris superatis nuntii venissent. Nam horum potissimum subigendorum caussa et ut M. Lollii cladem acceptam repararet in Galliam profectus erat, et quidem, si Horatium audimus (od. 4, 5. 3.):

Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto concilio.

Jam cum in eo carmine, de quo agimus, victoriae de Sygambris reportatae mentio fiat v. 36 sq., facile intelligitur id ab Horatio aut ipso a. 738. aut 739. inter communem reditus exspectationem Augusti scribi potuisse, fortasse *Juli Antonii* suasu, M. Triumviri ex Fulvia filio (de quo v. docte disserentem Weichert. de Var. et Cass. p. 334 sq.). Et revera eo tempore id scriptum esse, nec posteriore — plerique enim, ut Jani, Vanderb., Kirchn. q. p. 33. §. 61. et Weich. de Var. et Cass. p. 362. referunt ad a. 741. — sic collige mecum. Primum si Horatius brevi ante Augusti reditum, qui incidit in duos priores menses anni 741. (Dio 54, 25. Masson. Jani templ. reser. p. 184.), carmen cecinisset, profecto permirum esset, quod Sygambrorum tantum subactorum meminisset nec alia tetigisset permulta, quae Augustus cum in Germania et Gallia tum inprimis in Hispania egerat (Dio 54, 23 — 25.). Deinde jam alii rectissime observarunt odam haud dubie prius exaratam esse quam 4. et 14. Nam cum in his Drusi et Tiberii res gestae ita celebrentur, earum ut gloria ab Augusto tanquam a primario fonte deducta sit, vix dubitari potest quin Horatius etiam in carm. 2. gloriosa utriusque privigni facta Augusti celebrandi caussa commemoraturus fuisset, si id post a. 739. scripsisset. Accurate omnia, quae praedicatione digna erant, enarravit brevi ante reditum Augusti anno 740. exeunte in carm. 5. vs. 25 sq.:

Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, *Germania quos horrida parturit*
Fetus, incolumi Caesare? quis ferae
Bellum curet Iberiae?

At in carm. 2. solos Sygambros commemoravit. Hinc ante a. 740. id scriptum esse omni modo probatur. Noli autem

mirari, quod biennio ante reditum (v. 41.) *laetos dies et urbis publicum ludum forumque litibus orbum super impetrato fortis Augusti reditu* pollicetur. Nemo exspectaverat, Augustum per tam longum temporis spatium abfuturum esse. Carmen hujus libri 5. certissimo documento est, Romanos non ita multo post illud tempus, quo Sygambri pacem acceperunt, spe de proximo Augusti reditu concepta frustratos esse. — Jam antequam abiret pro felici ejus reditu vota nuncupata erant (Dio 54, 19.), et tum cum triumphans proxime Romam rediturus esse narraretur, haud dubie magni fiebant ad eum diem celebrandum in urbe apparatus, quales fere anno 741. (Dio 54, 25.), quo etiam ludi votivi facti sunt (Dio 54, 27.).

Haec omnia me impellunt, ut carm. 2. cum Massono (vit. Hor. p. 343 sq. vit. Ovid. Amstelod. 1708. p. 92.), Dacerio, Mitscherlichio, Doering., Passovio (not. 250.) et Grotef. p. 476. a. anno 738. exeunte aut 739. initio, sed ante 4. 5. et 14. compositum esse credam.

CARMEN IV. *„Qualem ministrum"*, propter quod, ut ait Acron, quartum librum contra dispositionem fecit in laudem Drusi Neronis, *medio fere anno 739.* scriptum est, cum de victoria, quam Drusus de Vindelicis reportaverat, primus nuntius Romam perlatus esset.

Quae ratio ut fidem accipiat, primum exponendum erit, quid *historici* de Raetis Vindelicisque a Druso et Tiberio debellatis memoriae tradiderint, deinde quid Horatius in carm. 4. et 14., denique quae rerum momenta inde deduci possint, ut utriusque carminis anni natales investigentur.

1. Cum igitur *Raeti* et *Vindelici*, ferocissimae illae et bellicosissimae gentes inter Alpes et Danubium, Helvetiam et Noricum habitantes, quas Dio Cassius libr. 54. cap. 22. de more posterioris aetatis communi *Raetorum* nomine insignit (cf. interpr. ed. Sturz. vol. VI. p. 145. not. 6. et Kirchn. quaest. p. 33. not.), Galliam atque Italiam crebris incursionibus infestare coepissent, nec praedam solum permultam egissent, sed immani etiam crudelitate saeviissent

in captivos, siquidem *πᾶν τὸ ἄῤῥεν τῶν ἁλισκομένων οὐχ ὅτι τὸ φαινόμενον ἀλλὰ καὶ τὸ ἐν ταῖς γαστράσιν ἔτι τῶν γυναικῶν ὂν μαντείαις τισὶν ἀνευρίσκοντες ἔφθειρον*, ut refert Dio l. l., consentiente Strabone IV. cap. 6. p. 206. — : Augustus anno 739. *primum Drusum Neronem* tres et viginti annos natum (Sueton. Claud. 1.) misit, qui insolentes barbaros coerceret. Atque hic militare rudimentum praeclare posuit. Nam ad Alpes Tridentinas occurrentes hostes devicit et ita devicit, ut praetorios inde honores adipisceretur. (Dio l. l. *δι' οὖν ταῦτα ὁ Αὔγουστος πρῶτον μὲν τὸν Δροῦσον ἐπ' αὐτοὺς ἔπεμψε. καὶ ὃς πρὸς τοὺς ἀπαντήσαντάς οἱ αὐτῶν περὶ τὰ Τριδέντινα ὄρη συμβαλὼν διαταχέων ἐτρέψατο· ὥστε καὶ τιμὰς στρατηγικὰς ἐπὶ τούτῳ λαβεῖν.*) Nondum tamen fortissimorum populorum ferocia fracta erat. Nam quamquam ab Italia propulsati erant, tamen vicinam Galliam depopulari perrexerunt. Quamobrem *Tiberius* quoque ad eos debellandos missus est, Druso datus adjutor. Tum junctis fratrum viribus Raeti et Vindelici perdomiti et subacti sunt. Dio l. l.: „*ἐςβαλόντες οὖν*, inquit, *ἐς τὴν χώραν πολλαχόθεν ἅμα ἀμφότεροι, αὐτοί τε καὶ διὰ τῶν ὑποστρατήγων, καὶ ὅ γε Τιβέριος καὶ διὰ τῆς λίμνης πλοίοις κομισθεὶς, ἀπό τε τούτου κατέπληξαν αὐτοὺς, ὡς ἑκάστοις σφίσι συμμιγνύντες, τούς τε ἀεὶ ἐς χεῖρας ἀφικνουμένους οὐ χαλεπῶς ἅτε διεσπασμέναις ταῖς δυνάμεσι χρωμένους κατειργάσαντο, καὶ τοὺς λοιποὺς ἀσθενεστέρους τε ἐκ τούτου καὶ ἀθυμοτέρους γενομένους εἷλον· ἐπειδή τε ἐπολυάνδρουν καὶ ἐδόκουν τι νεωτεριεῖν, τό, τε κράτιστον καὶ τὸ πλεῖστον τῆς ἡλικίας αὐτῶν ἐξήγαγον καταλιπόντες τοσούτους, ὅσοι τὴν μὲν χώραν οἰκεῖν ἱκανοὶ, νεοχμῶσαι δέ τι ἀδύνατοι ἦσαν.*" Haec omnia *una aestate* (anni u. c. 739.) facta esse testatur *Strabo* l. l.: „*πάντας δ' ἔπαυσε τῶν ἀνέδην καταδρομῶν Τιβέριος καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Δροῦσος θερίᾳ μιᾷ.*" Paulo aliter eadem de re, neque tamen citra fidem *Vellej. Pat.* 2, 95.: „Reversum inde Neronem Caesar haud mediocris belli molem experiri statuit, adjutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem intra Caesaris penates enixa erat Livia; quippe uterque divisis partibus Raetos Vindelicosque adgressi, multis

urbium et castellorum oppugnationibus (Hor. od. 14, 11.: et *arces Alpibus impositas tremendis* Dejecit acer.), nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore cum periculo quam damno Romani exercitus (od. 14, 32.: Stravit humum *sine clade* victor.), plurimo cum earum sanguine (od. 14, 17.: Spectandus in certamine Martio, ***Devota*** morti *pectora* liberae *Quantis fatigaret ruinis*) perdomuerunt." Minus tamen audiendus ***Florus***, qui libr. IV. cap. 12. §. 4. omnes illius cardinis populos, Breunos, Senones atque Vindelicos per Claudium Drusum solum perpacatos esse scribit, injuria profecto Tiberium operae isto in bello praestitae gloria fraudans. Breviter res tacta est in Liv. epit. 136. Vellej. 2, 122. Sueton. Aug. 21. Tiber. 9. Claud. 1. Eutrop. 7, 5. —

2. Scriptoribus accuratior etiam est Horatius, qui Drusi et Tiberii res gestas celebrandas sibi sumpsit in carm. 4. et 14. Hunc igitur, quo vix certiorem testem afferas, si audimus, continuo patescunt haec:

a) ***Drusus***, qui primum solus contra gentes inalpinas missus erat (v. Dio), hac in expeditione *Vindelicos* tantum aggressus est et vicit proelio. Apparet hoc tum ex od. 4. vs. 17 sq., quos post tot tantasque interpretum dubitationes nunc quidem ejecto inepto illo glossemate, quod est a v. 18 — 22., cum Petr. ***Bosscha*** (in vindiciis Horatianis adversus nuperam censuram a Hofm. Peerlkamp. editam. Daventriae 1836. p. 129.) sic legendos et distinguendos esse censeo:

Videre Raetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem *Vindelici*, diu
Lateque victrices catervae
Consiliis juvenis revictae.
Sensere, quid mens rite caet.,

tum clarius etiam ex od. 14. vs. 7 sq. maximo principum:

Quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,
Quid Marte posses. Milite *nam* tuo
Drusus Genaunos, inplacidum genus,

Breunosque veloces, et arces
Alpibus impositas tremendis
Dejecit acer plus vice simplici.

In his Genauni et Breuni ad Vindelicorum gentes relati sunt; id quod fecerunt etiam Ptolem. 2, 13. et Strab. l. l. (*οἱ δὲ Οὐινδελικοὶ καὶ Νωρικοὶ τὴν ἐκτὸς παρωρείαν κατέχουσι τὸ πλέον μετὰ Βρεύνων καὶ Γεναύνων.*). Sed cum iidem populi in inscriptione e tropaeo Alpium, quod S. P. Q. R. propter hanc ipsam expeditionem Augusto annno 742. constituit, a Plinio servata in hist. nat. 3, 24. in Vindelicis non numerentur, inter ipsos Romanos hac de re non satis constitisse videtur. Plin. l. l. Raetos et Vindelicos in multas civitates divisos esse dicit.

b) *Tiberius* Druso in auxilium missus *Raetos* deinde vicit, id quod confirmatur odae 14. vs. 14 sq.:

Major Neronum mox grave proelium
Commisit, immanesque *Raetos*
Auspiciis pepulit secundis.

c) Horatius non solum annum 739., quo contra Vindelicos et Raetos pugnatum, sed etiam diem quo bello finis impositus est, perspicue indicavit in carm. 14. Probaturus enim Tiberium vicisse, quod Augustus copias ei consilium Deosque suos praebuerit, ita canit a v. 34.:

— Nam, tibi *quo die*
Portus Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna *lustro* prospera *tertio*
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.

Quo die igitur Augustus victor intraverit Alexandriam, eodem hic dicitur post XV annos privignorum opera subegisse Raetos. Atqui scimus Alexandriam captam esse totamque Aegyptum in populi Romani potestatem venisse *anno 724.* (Dio 51, 19.), et quidem *mense Sextili* (Macrob. Saturn. 1, 13.). Ergo constat bellum Raeticum finitum esse *eodem mense anni 739.* (Dio Cass. 55, 6. [ann. 746.]: *τά τε τοῦ πωμηρίου ὅρια ἐπηύξησε καὶ τὸν μῆνα τὸν Σεξστίλιον ἐπι-*

καλούμενον Αὔγουστον ἀντωνόμασε. τῶν γὰρ ἄλλων τὸν Σεπτέμβριον οὕτως, ἐπειδήπερ ἐν αὐτῷ ἐγεγέννητο, προσαγορεῦσαι ἐθελησάντων, ἐκεῖνον αὐτὸς προετίμησεν, ὅτι καὶ ὕπατος ἐν αὐτῷ τὸ πρῶτον ἀπεδέδεικτο, καὶ μάχας πολλὰς καὶ μεγάλας ἐνενικήκει. ἐπὶ μὲν οὖν τούτοις ἐγαυροῦτο.) Quid quod ne dies quidem ignoratur? Etenim ***Alexandriae expugnatio*** non solum ab ***Orosio*** libr. 6. cap. 19. ad ***Kal. Sextil.*** refertur, sed eidem etiam diei in ***Kalendario Antiatino*** (Claudii imp. tempore ut videtur confecto) adscripta est his verbis (cf. Orellii inscr. lat. vol. II. p. 397. Ideler. in Handbuch der Chronol. vol. I. p. 153.):

AVG.
ALEXAND. RECEPIT.

Quamquam dubitaverit aliquis hac de re. Nam si Dionem (51, 19.) audimus, Aegyptii ex Patrum decreto ab eo ipso die, quo Alexandria capta erat, annos Augustorum numerarunt (*τήν τε ἡμέραν ἐν ᾗ ἡ Ἀλεξάνδρεια ἑάλω, ἀγαθήν τε εἶναι, καὶ ἐς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι*), et *Censorino* auctore (de die nat. 21.) ab eo tempore, quo in ditionem P. R. venerant. Jam cum initium aerae Augustorum Aegyptiacae inciderit in primum diem mensis Thoth, qui a. u. c. 724. fuit pridie Cal. Septembr., ut probarunt chronologi (cf. Ideler. l. l. p. 154.): Alexandria hoc potius die expugnata esse possit videri. At vero hujuscemodi rationem falsam esse neque ita comparatam, ut jure quodam antiquissimi lapidis fidem contemnas, facili modo evincitur. Nam Aegyptum subactam esse Romae jam Id. Septembr. anni 724. constabat (cf. od. 1, 37. p. 170. et Mass. Jan. t. res. pag. 182.), ita ut, si Alexandria exeunte mense Sext. capta esset, nuntius hac de re post quattuordecim dies ab Aegypto Romam esset perlatus. Hoc vero temporis spatio id fieri potuisse, siquidem nimis longum saeviat inter Aegyptum et Italiam pontus, recte negavit Masson. l. l., Acastum animadvertens uno et vigesimo die ***Roma Athenas*** venisse, etsi strenue iter fecerit (Cic. ad fam. 14, 5.), et alium nescio quem Seleucia Syriae se 28. die Brundisium contulisse (Cic. ad Attic. 11, 20.). — Itaque Alexandriam jam ante d. IV. Cal. Sept. expugna-

tam esse necesse est. Ante *d. IV. Cal. Sept.*, inquam. Nam ab hoc die Aegyptii revera annos numerabant. Acquiescamus igitur in eo, quod didicimus Aegypti urbem captam esse *ipsis Cal. Sextil.* a. u. c. 724. Adi Masson. in Jani templ. reser. p. 178 sq. vit. Hor. p. 339., interpr. Dion. 51, 19. (ed. Sturz. VI. p. 21. not. 139.) et inprimis Ideler. l. l. p. 154 sq.

3. Quodsi certum est ***Raetos*** et ***Vindelicos*** junctis Tiberii et Drusi viribus ***mense Sextili*** (vel si mavis Cal. Sext.) a. 739. subactos esse, videamus quando Horatium carm. 4. et 14. composuisse verisimile sit.

Ac *quartum* quidem, in quo ***sola Drusi victoria*** de Vindelicis reportata celebratur, manifestum est *potuisse* scribi, cum Romani de prospero eventu primae expeditionis a solo Druso adversus gentes Alpinas susceptae certiores facti essent, h. e. vere vel ineunte aestate anni 739. Sed profecto etiam *necesse est* illo tempore ortum sit carmen, et quidem antequam Tiberium istos populos et aggressum esse et prostravisse Romae constaret. Etenim non solum imprudenter, injuste et inficete Horatius egisset, sed impudenter etiam et rustice, si solum Drusum splendidissimo carmine tum laudasset, cum Tiberii victoriae jam notae essent. Non equidem verisimile dixerim poetam de industria res gestas Tiberii malitioso vere silentio praetervectum esse et ita ejus gloriae obtrectasse. Non equidem Horatium crediderim justam ejus offensionem ultro sibi contraxisse, eo minus quo suspiciosior Tiberius et ad invidiam promptior erat. Et cum inter Horatium et Tiberium arta paene necessitas intercesserit (epist. 1, 9. 2, 2. 1.) atque hic splendidissima et sincera laude ornetur in od. 14.: quae tandem invidiosi istius silentii caussa fuerit? Quid quod prima Drusi victoria tum, cum debellatos populos denuo motus fecisse et a Tiberio demum subactos esse eventus docuisset, tam effusa laude ne digna quidem amplius erat? Hinc certo evincitur carmen 4. ante 14., et aliquot mensibus ante mens. Sextil. a. 739. compositum esse. Idem accurate probatum ivit Kirchn. in quaest. p. 32 sq. §. 60. et not. 8. — Plurimi a vero aberrant, dum odam vel ad a. 740. referunt (Grotef.

p. 475. b.), vel ad sequentem (Sanad., Jani, Vanderburg. vol. II. p. 240. et ad od. 14. aliique.)

CARMEN XIV. *„Quae cura Patrum"* in quo Drusi et Tiberii gloriam ita praedicat Horatius, ut dexterrima usus conversione primariam ejus caussam repetat ab ipso Augusto, brevi post reditum Augusti ex Gallia, ergo prima parte a. 741. scriptum videtur. Nam nisi omnia fallunt poeta Augustum alloquitur *Romae praesentem.* Certe permirum esset, si ante ejus reditum, quem in carm. 2. et 5. communis laetitiae laetaeque exspectationis interpres exoptarat, hoc in carmine de *„fidelibus desideriis quibus icta esset patria"* prorsus nil dixisset.

Atque isti tempori optime conveniunt omnia aetatis adminicula, quae carmini insunt. Ipsum exordium, in quo a S. P. Q. R. sat dignos Augusti virtutibus et meritis honores excogitari et decerni posse negat, non alia ex re enatum est, nisi quod totus populus in novis et exquisitis honoribus inveniendis, quibus ornaret Augustum, ex eo fere tempore quo abiit usque ad reditum summo studio occupatus erat. cf. Dio Cass. 54, 19. et 25. Hor. od. 4, 2. 41 sq. Dein exitus carminis, in quo totum terrarum orbem pacatum scribit, facilem habet explicatum. Nam primum qui v. 41. commemorantur *Cantabri* subacti erant ab Agrippa a. 734. (Dio 54, 11. Hor. epist. 1, 12. 26.). Tum quod *Medus, Indus* et *Scythes* dicuntur Augustum mirari, id eo spectat, quod a. 734. *Parthi* signa captivosque restituerant (Dio 54, 8. Strab. 16. p. 748., 6. p. 288. Liv. epit. 139. Sueton. Aug. 21. Tib. 9. Vellej. 2, 91. Justin. 42, 5. Flor. 4, 12. 83. Eutrop. 7, 5. Oros. 6, 21. Hor. epist. 1, 18. 56. Ovid. Trist. 2, 297.), quod eodem *Indi* ab Augusto per legatos amicitiam petierant (Dio Cass. 54, 9. Strab. 15. p. 686. et p. 719. Suet. Oct. 21. Eutrop. 7, 5. Oros. 6. 21. Horat. carm. saec. 55. cf. Virg. Georg. 2, 171. Aen. 7, 604 sq.), *Scythae* vero, sive Parthorum intelligis socios sive Sarmatas, dudum coerciti erant (cf. quae dixi ad od. 1, 19. 3, 8. 2, 9. 19. 3, 29. 26. 3, 4. 36.), et hi quidem denuo anno 738. (Dio 54, 20.). Tum v. 46. subacta Aegyptus, Dacia, Pannonia

et Raetia per *Nilum* et *Istrum* significantur, et cum a. 734. Armeniis a Caesare Tigranes rex datus et a Tiberio in regnum deductus esset (Dio 54, 9. Hor. epist. 1, 12. 27.), *Tigris* quoque fluvius *Augustum mirari* dicitur, quin in v. 47. ipse *Oceanus* belluosus, qui remotis *Britannis* obstrepat, quod hi identidem ad Augustum legatos miserant (cf. od. 3, 5. 3. Passov. vit. not. 249.). In his Horatium fidem historicam non migrasse ipso *mirandi* verbo efficitur. Postremo poeta commemorata *Gallia* et *Iberia* unde Augustus brevi ante redierat cum delectu *subactorum Sygambrorum* mentionem facit, quippe quos ipse Augustus a. 738. debellaverat nescio dicamne an pacaverat (cf. od. 4, 2. 36.).

Ita haec omnia Augusti laudandi caussa scripta esse videmus tum cum post trium annorum absentiam initio a. 741. Romam rediisset. Atque ita statuerunt omnes quod sciam interpretes, etiam Masson. vit. Hor. p. 333. et 348 sq. Jani templ. p. 175 sq., Grotef. p. 475. b. et Kirchn. quaest. p. 32. §. 60. et 61.

Ante illum ipsum reditum, cum praeter exspectationem *nimium diu* abfuisset Augustus

> *Maturum* reditum pollicitus Patrum
> Sancto concilio,

scriptum est **CARMEN V.** *„Divis orte bonis"* haud dubie a. 740. Nam cum Augustus tribus prioribus mensibus a. 741. reverterit, verisimile fit jam initio ejusdem a. de proximo imperatoris reditu Romae constitisse. Hoc vero carmen cum scriberetur, nondum spes fuit fore ut mox adventaret. Ergo antecessit annum 741. Deinde cum Augustus *nimium diu* abesse dicatur, et vs. 26. et 27.:

> Quis Germania quos horrida parturit
> Fetus incolumi Caesare? (paveat.)

haud dubie post Drusi et Tiberii victorias a. 739. reportatas scripti sint: summo opinor jure carmen a. 740. assignatur. Idque placuit Massono (vit. Hor. p. 341. Jani templ. res. p. 99. 100.), Grotefendo (p. 476. a.) et Kirchnero (quaest. p. 32. §. 60.). Temere Torrentium et Fabrum odam ad a. 730. retulisse docent vs. 21 sq., in quibus le-

ges de adulteriis et pudicitia atque de maritandis ordinibus a. 736. latas (Dio Cass. 54, 16. ibiq. interpr. (Sturz. vol. VI. p. 115.) Lips. exc. ad Tac. Ann. 3. Hor. od. 4, 15. 10.) respectas esse dudum animadversum est viris doctis.

CARMEN VI. *„Dive quem proles"* in confesso est exaratum esse a. 737. cum Horatio honorificum carminis saecularis scribendi munus ab Augusto injunctum esset (cf. Masson. vit. H. p. 318. Grotef. p. 475. b. Kirchn. t. chr.). Hujus enim quodammodo *προοίμιον* est (cf. v. 42.), idque ortum ex justa quadam superbia et sui fiducia, qua poeta efferebatur, ex quo tempore virtutem suam poeticam et artem cum a primoribus viris tum ab ipso Augusto ita comprobatam esse intellexerat, ut ex permagno poetarum illius aetatis grege solus haberetur dignus, qui in sollemni ludorum saecularium celebratione hymnum in Apollinem et Dianam componeret. Qua re nil paene ei contigit laetius atque exoptatius. Ita enim cum vere poetarum Romanorum princeps judicatus esset, fieri non poterat quin non solum invidiosae lividorum hominum voculae brevi obmutescerent, sed publica etiam poetae aestimatio, laus, admiratio in diem cresceret et adaugeretur. Quid mirum igitur, si *„Romanae fidicen lyrae", „monstratus ille digito praetereuntium"* nequaquam anxius partae gloriae dissimulator fuit? Quid mirum, si generoso spiritu nescio dicamne an modestia vertice sublato aeternum carminum pretium et honorem identidem auguratus est? Est sane quod laetemur hac de re. Nam huic ipsi superbiae, huic ipsi fiduciae sui, huic ipsi gaudio quo percussus est ubi palmam tulit, primum debemus mellitissimum **ODARION** hujus libri **III.** *„Quem tu Melpomene semel"*, scriptum illud ut perbene conjecit Grotef. (p. 475. b.) circa a. 737., cum Horatius carmen saeculare conficere jussus esset. In hoc igitur omnem honorem, quo propter poesin suam fruatur, amabili prorsus modestia defert ad Musas, quae nascenti sibi arriserint. Quod cui contigerit eum nobilem fieri. Gloriabundus igitur pergit:

Romae principis urbium
Dignatur suboles inter amabiles
Vatum ponere me choros,
Et jam dente minus mordeor invido.

Eodem sensu ductus scripsit **CARMEN VIII.** „*Donarem pateras*" ad Censorinum, **CARMEN IX.** „*Ne forte credas*" et a quo exorsi sumus **CARMEN VI.** „*Dive quem proles*", in quo poesis suae artem et nomen poetae a Phoebo quidem Apolline deducit, sed tamen bene pretii sui gnarus puellis magno honori fore libere profitetur, quod carmen Horatianum publice decantaverint, his:

Nupta jam dices: ego Dis amicum
Saeculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horati.

CARMEN VII. „*Diffugere nives*" quamquam temporis indiciis plane caret, a Kirchnero tamen (tab. chr.) et Weicherto de Var. et Cass. p. 305. ad a. 738. relatum est, a Grotef. p. 475. ad eundem vel ad sequentes. Quorum confidentiam mirari licet. Quid attinet certum quendam annum pro natali venditare carminis, quod intra quinque annos (737—41.) scribi potuisse scimus? Non magis constat, ad quem datum sit, quamquam hac quoque in re homines docti ad quaslibet conjecturas prompti paratique fuerunt. Torquatum eundem esse, cui scripta est epist. 1, 5. in confesso est. Non autem posse intelligi *L. Manlium Torquatum*, decem fere lustris natu majorem Horatio, cos. a. u. c. 689., tam manifestum, ut mirum sit Cruquium et Dacerium in hanc opinionem potuisse incidere. Hos dedita opera refellit Masson. vit. H. p. 211 sq. Nec cognominis ejus filius *L. Manlius Torquatus* Horatianus esse potest Torquatus, quamquam pro hac sententia doctissimi viri propugnarunt (Wieland., Thorbeck. de Asin. Poll. p. 71. et Meyer. in fragm. oratt. Rom. p. 218.). Is enim et ipse Horatio aetate multum anteivit. Jam a. 688. P. Sullae, consuli designato sed ambitus accusato, consulatum eripuit et ad patrem detulit. A. 709. diem supremum obiit. —

Sanadon., Mitsch., Jani, Vanderb. aliique *Torquati* Consulis *nepotem* intelligendum esse contenderunt. Sed commenticius ille est, quippe quem conjecturarum fecunda mens Dacerii peperit. Alia via progressus est Weichertus. Hic enim, ubi tres illos Manlios docta severitate iterum in exsilium pepulit de Cass. Parm. p. 304—310., probatum ivit p. 310—319., in utroque carmine Horatiano cum Th. Marcilio intelligendum esse *C. Nonium Asprenatem Torquatum*, Augusto familiarissimum (Sueton. Oct. 43. et 56.). Ac mihi quidem plane persuasit vir doctissimus.

CARMEN VIII. *„Donarem pateras"* ad C. Marcium Censorinum, cos. a. 746. cum C. Asinio Gallo, demortuum a. 755. in Asia, quem Vellej. 2, 102. demerendis hominibus genitum vocat, scriptum esse videtur, etsi dubitare licet, ut dubitavit Masson. vit. p. 365. De tempore odae nil plane liquet. Kirchn. (tab. chr.) eam ad annum 743. retulit, Grotef. p. 476. a. ad a. 746. Tu, lector, per illud temporis spatium eam ortam esse confide, quo reliqua hujus voluminis carmina. Denique v. Passov. vit. not. 263.

CARMEN IX. *„Ne forte credas"* perquam mihi verisimile videtur compositum esse, cum *M. Lollius Palicanus* in Germania notissimam illam cladem a. 738. accepisset, ergo aut hoc ipso aut sequenti. Etsi enim id tantum certo scimus, carmen non potuisse scribi ante a. 733., quo Lollius cos. fuit (cf. epist. 1, 20. fin.), propter v. 39 sq. ubi animus ejus non per unum tantum annum dignitatem consularem tueri dicitur: fieri tamen non potest quin versus 30 sq.:

— Non ego te meis
Chartis inornatum silebo
Totve tuos patiar *labores*
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens, et *secundis*
Temporibus dubiisque rectus.

historiae peritum eundemque non morosum conjecturarum

osorem eo adducant, ut nuperam Lollii cladem in his respectam totumque carmen propterea ab Horatio scriptum esse existimet, ut non solum calamitatem ejus veluti doloris socius lugeret, sed etiam justa morum, ingenii atque meritorum praedicatione eum a vulgi vituperio, criminationibus, invidia et odio tueretur. Ita judicarunt post Masson. vit. Hor. p. 319 sq. Sanadon., Jani, Grotef. p. 476. a. aliique.

Quae de moribus et ingenio Lollii scriptores tradunt (Vell. Pat. 2, 97. et 102. Plin. h. n. 9, 35. Tac. Ann. 3, 48. cf. Passov. vit. not. 263. p. CXIX.), ea mirum quantum sane ab imagine quam Horatius pinxit discrepant, ita ut aut auctoribus aut poetae diffidendum sit. Neutrum vero nec potest fieri nec debet. Nam quamvis exigua sit auctoritas eorum, qui Lollium pravissimi fuisse animi tradunt, apparet tamen crimina quae in eum jaciantur non posse prorsus commenticia esse. Quin comparanti mihi Horatiani carminis v. 37 sq.:

> Vindex avarae fraudis, et *abstinens*
> *Ducentis ad se cuncta pecuniae*

cum Velleji verbis, qui libr. 2. cap. 97. Lollium hominem *in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidiorem* et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimum crepat, verisimile fit jam Horatii tempore praecipue de Lollii avaritia eaque justitiae et continentiae modum excedente invidiosos Romae rumores sparsos fuisse. Profecto enim singularis fuerit caussa necesse est, qua commotus poeta in collaudando tam nobili viro prae caeteris non diserte ejus continentiam, sed *pecuniae abstinentiam* pressit. Altera ex parte mihi persuasissimum est, tum Horatium non composito vultu sed sincero animo Lollii laudes cecinisse et malos istos rumores, si qui increbruerant, pro malevolis et fictis criminationibus habuisse, tum Lollium, qui tanta Augusti gratia floreret et tot tantisque honoribus afficeretur, Horatii laudibus dignum fuisse et, si unquam, posteriore demum tempore, moribus in Oriente fortasse corruptis, a pristina probitate descivisse. Et sane si testes, qui de Lollii moribus judicarunt, componimus, vel per se consen-

taneum est Horatii auctoritati plurimum tribuendum esse. Cum Lollius Tiberio inimicissimus fuerit, patet et Velleji, foedi Tiberii assentatoris, fidem infringi, et explicatum habere Tiberii verba apud Tac. Ann. 3, 48. Plinium autem communem famam secutum esse jam Jani observavit. Quare in Horatii carmine nil video ficti, nil dissimulati. Kirchnero (quaest. p. 38. §. 67.) id visum est a. 736. scriptum esse, scilicet cum tria odarum volumina in vulgus emittenda Lollio a poeta dono mitterentur! Faber, Marcilius aliique (etiam Doering.) odam anno 733. assignarunt, id quod inter alios recte improbarunt Jani et Vanderb. —

CARMEN X. *„O crudelis adhuc"* eodem tempore poeta lusisse videtur, quo c. 1. Illic enim Ligurini pueri amore se captum esse finxit, hic *eundem* jubet superbiam, qua amatores tractet, deponere. Quocirca cum Sanadono, Vanderb., Kirchn. (t. chr.) odam ad a. 739. referre licebit, vel cum Grotef. p. 475. b. ad a. 738.

CARMEN XI. *„Est mihi nonum"*, in quo Horatius Idib. April. (v. 14.) Maecenatis diem natalem celebraturus Phyllidem ad laetum convivium secum peragendum invitat, a. 738. conceptum esse statuerunt Dacerius, Sanadon., Kirchn. (tab. chr.), Grotef. p. 475. b. et alii, propterea quod poeta se mulieris amori postremum indulgere dicat vs. 31 sq.:

— Age jam, *meorum*
Finis amorum,
Non enim posthac alia calebo
Femina, condisce modos, amanda
Voce quos reddas: minuentur atrae
Carmine curae.

Neque injuria opinor. Sed hujuscemodi conjecturas a rebus amatoriis desumptas ne obliviscare ita dubias esse, ut nil supra.

CARMEN XII. *„Jam veris comites"*, si vel certum vel verisimile esset ad Virgilium poetam datum esse, scriptum esse oporteret ante a. 735. Virgilii emortualem, ergo

prius quam Horatius Augusto hortante denuo melica carmina componeret. Verum cum poeta Mantuanus hic vix possit intelligi (v. 15. et 25.), nec ullum hujus libri carmen ante a. 737. scriptum esse aut probabile sit, aut argumentis certo possit evinci: cum iis facio, qui hanc quoque odam intra temporis cancellos, quibus reliquae inclusae sint, scriptam et Virgilio nescio cui, fortasse negotiatori (v. 2. 15. 22. 25.), ut suadent Schol. Cruq. et Acr., dedicatam esse statuunt. cf. Vanderb. vol. II. p. 390—96. Obbar. in Seeb. Jahn. et Kl. annal. 1835. vol. 15. p. 72.— Kirchn. 740. Grotef. p. 475. b. 738.

CARMEN XV. *„Phoebus volentem"* post Massonum (Jani templ. reser. p. 213 sq. vit. Hor. p. 357.) communi fere interpretum consensu refertur ad a. 744., quo Janus ab Augusto tertium clausus sit. Cujus facti eo ipso anno Horatium meminisse contendunt v. 9. Neque vero totam rationem conjecturis niti et probabilem tantum esse confitentur, sed tam certam firmamque eam habent, ut nec argumenta amplius examinent, nec quemquam ea de re dubitaturum esse omnino confidant. Quid quod Kirchnerus in quaest. §. 60. p. 31. probaturus, Bentlejum, dum quartum odarum librum intra annos 738—40. compositum esse statuat, aut festinantius egisse aut veritatem in suae opinionis gratiam susque deque habuisse, gravissimum et primarium argumentum ab hoc ipso carmine petiit, quippe quod evidenter a. 744. scriptum sit!

Dignus profecto inveteratus hic error, quem ab omni parte aggrediamur. Placet igitur ita hoc in loco versari, ut primum missis temporis indiciis generatim anquiramus, quando carmen scriptum esse probabile sit, deinde missa illa Jani clausi mentione de reliquis temporis indiciis, tum de Jano tertium clauso, denique his cognitis de anno odae natali exponamus.

1. Cum nullum totius libri 4. carmen sit, quod post a. 740. exaratum esse luculenter appareat — nam vel 14. potest ad a. 739. pertinere — pleraque autem in annos 737. 38. 39. et 40. incidant: nil opinor magis consentaneum,

quam ut ultimum quoque carmen cum reliquis temporis cognationem habere et si non ipso a. 740. certe non ita multo post compositum esse conjectemus. Qua in re eo minus verendum ne labamur, si verum est quod Sueton. tradit, librum odarum 4. propter od. 4. et 14. Augusti jussu prioribus additum esse. Qui igitur factum fuerit, ut, quamquam illa jam anno 740. scripta erant, tamen quadriennio demum post liber confectus et pervulgatus sit? Qui factum fuerit, ut, cum pleraque jam a. 740. composita essent, quadriennio demum post ultimum exaratum sit? Profecto vel inde est quod vulgarem rationem quam maxime improbabilem esse dicas.

2. Nec obscurus ille sensus, quo te duci passus es, in fraudes te induxit. Nam si ipsis temporis indiciis institeris, nullum invenies, quod carmen post annum 741. scriptum esse probet.

Debet igitur scriptum esse non solum

a) *post a. 734.* ob v. 6. „Et signa nostro restituit Jovi, Derepta Parthorum superbis Postibus" sed etiam

b) *post a. 735.*, quo decretum est, ut leges ab Augusto latae *Augustarum* nomine insignirentur (Dio 54, 10); nam in v. 22. *edicta Julia* commemorantur.

c) *post a. 736.* ob vs. 9 sq. „et ordinem Rectum evaganti frena Licentiae Injecit emovitque culpas, Et veteres revocavit artes" — ubi leges de pudicitia atque de maritandis ordinibus a. 736. latae respiciuntur (cf. od. 4, 5.)

d) nisi omnia fallunt, post reditum Augusti, ergo *aliquanto post initium anni 741.* Augusto enim praesente et *pace stabilita* carmen exaratum esse praeter vs. 4 sq. inprimis probant vs. 17 sq.:

Custode rerum Caesare, non furor
Civilis aut vis exiget *otium,*
Non ira, quae procudit enses
Et miseras inimicat urbes.
Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent *Julia*, non Getae,
Non Seres, infidive Persae
Non Tanaim prope flumen orti.

Hic locus simillimus est fini praecedentis odae, quam post Augusti reditum compositam esse supra vidimus. Qui vero carminis saec. vs. 53 sq. et ipsos simillimos comparaverit:

Jam mari terraque manus potentes
Medus, Albanasque timet secures:
Jam Scythae responsa petunt, superbi
Nuper et Indi.
Jam Fides et Pax et Honor Pudorque
Priscus et neglecta redire Virtus
Audet: apparetque beata pleno
Copia cornu,

is facile in eam sententiam possit adduci, ut carmen 15. jam a. 737. ortum esse credat, praesertim cum extremi versus:

Trojamque et Anchisen et almae
Progeniem Veneris canemus,

nemini non in memoriam revocent carminis saec. vs. 49. et 50.:

Quique vos bubus veneratur albis
Clarus Anchisae Venerisque sanguis.

Sed obstat v. 19. „*Non qui profundum Danubium bibunt*", ubi non dubium est quin victoriae respectae sint, quas Romani per annos 738. 39. 40. de Germaniae populis reportaverant. Nec credibile est Horatium, si hoc c. jam a. 737. scripsisset, prius igitur quam reliqua tantum non omnia, id extremo loco positurum fuisse. Jam cum ab a. 738. usque ad a. 741. continua saevirent bella, neque de parta pace mentio fieri posset nisi post Augusti reditum, liquet carmen non ante a. 741. scriptum esse. Praecedenti igitur aetate suppar est. Unde accidit fortasse, ut utrumque carmen non solum in aliquot codd. sed etiam antiquitus et vulgata quidem usuque recepta ratione (*Porphyr.*: Quidam separant hanc oden a superiore; sed potest illi jungi, quoniam hic laudes dicuntur Augusti.) in unum conjungeretur.

3. Sed haec omnia, quae de odae tempore probabiliter dixisse mihi videor, funditus convelli et everti clamant, quod v. 9. *Jani clausi* mentio facta sit. Nempe prorsus

egregie ratiocinantur ita: Horatius Janum *tertium* obseratum hic respexit. Atqui Janus ab Augusto tertium clausus est anno u. c. 744. (ut probatum ivit Masson. Jani templ. p. 208. !) Ergo carmen scr. a. 744. Cujus conclusionis quam prava sint singula membra, non te fugiet, *candide* lector, si haec mecum reputaveris:

a) Pessime affirmant ab Horatio Janum *tertio* clausum respici. Cujus rei ne leve quidem vestigium verbis inest. Immo cum eo tempore, quo hoc carmen stilo signatum esse verisimile est, Janus ab Augusto jam bis (a. 725. et 729.) clausus esset: aut fallor aut ipsa verba, quibus usus est poeta,

Tua, Caesar, *aetas*
Fruges et agris retulit uberes,
Et signa nostro restituit Jovi,
Derepta Parthorum superbis
Postibus, *et vacuum duellis*
Janum Quirini clausit, et ordinem
Rectum evaganti frena Licentiae
Injecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artes. —

luculenter ostendunt ab Horatio significatum esse Janum *Augusto imperante* obseratum. Non igitur certum quendam annum respexit, quo Janus primum, secundum tertiumve clausus fuerit, sed praecipua Augusti pacifici merita, honores, ornamenta enumeraturus inter alia Jani quoque clausi juste meritoque meminit. Quare pessimam hanc temporis notam habeo, ex qua id tantum discas, carmen post a. 725. exaratum esse.

b) Sed fac Horatium Jano tertium clauso scripsisse odam. Unde tandem id a. 744. factum esse norunt? Unde tandem Massonus, quo ad unum omnes innituntur, id novit? Paulo altius rem repetamus necesse est. Janum ab Augusto *ter* fuisse clausum tradunt *Sueton.* Aug. 22. et *Oros.* 6, 20. atque colligi potest ex verbis *Taciti*, quae servavit Orosius 7, 3.: „Deinde, ut verbis Cornelii Taciti loquar,

sene Augusto Janus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novae gentes saepe ex usu et aliquando cum damno quaeruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium. Hucusque Cornelius." Janus enim cum non ita multo post a. 729. reseratus sit: necesse est tertium clausus sit posteriore tempore, si *sene Augusto* rursum aperiebatur. Jam vero non dubium est quin Janus *primum* clausus sit a. 725. (Dio 51, 20.) *iterumque* a. 729. (non ut Masson. dixit in Jani templ. res. p. 94. a. 730. cf. Dio 53, 26.) Sed quando *tertium* id factum sit, non liquet. Non enim posse credi Orosio, qui annum 752. habet, bene ostendit Masson. Jan. templ. p. 320. et neminem fugiet, qui ipsum scriptorem quaelibet eo tempore miracula captantem evolverit. Idem igitur Masson. l. l. p. 208. probare studuit Janum tertio clausum esse a. 744. Sed argumenta ejus tam futilia sunt, ut mireris ea hominibus doctis tam diu et placuisse et fraudi fuisse. Dio Cass. 54, 36. a Senatu anno 743. (annus non diserte denotatus est, sed credere hic licet Massono l. l. p. 203.) decretum esse narrat, ut Janus clauderetur. Neque tamen id fieri potuisse, quod Daci Istrum congelatum transgressi fuerint, Dalmatae vero Germani et Catti rebellaverint. (*ἐψηφίσθη μὲν οὖν τὸν Ἰανὸν τὸν Γέμινον ὡς καὶ πεπαυμένων τῶν πολέμων — ἀνέῳκτο γὰρ — κλεισθῆναι. οὐ μέντοι καὶ ἐκλείσθη. οἵ τε γὰρ Δακοὶ τὸν Ἴστρον πεπηγότα διαβάντες λείαν ἐκ τῆς Παννονίας ἀπετέμοντο, καὶ οἱ Δαλμάται πρὸς τὰς εἰςπράξεις τῶν χρημάτων ἐπανέστησαν.* caet.). Sed debellatas esse gentes a Tiberio et Druso. Tum utrumque una cum Augusto Romam rediisse et anno 744. perfecisse, quaecunque propter victorias decreta fuissent vel per se facienda essent (*καὶ μετὰ τοῦτο ἔς τε τὴν Ῥώμην σὺν τῷ Αὐγούστῳ συνεκομίσθησαν — ἐν γὰρ τῇ Λουγδουνίδι τὰ πολλὰ οὕτως ἐγγύθεν τοῖς Κελτοῖς ἐφεδρεύων διέτριβε — καὶ ὅσα ἐπὶ ταῖς νίκαις ἐψήφιστο ἢ καὶ ἄλλως καθήκοντα ἦν γενέσθαι ἐπετέλεσαν*). Unde Massonus *etiam Janum tum clausum fuisse* collegit. At facile apparet quam dubia et improbabilis haec sit conjectura. Nam primum si Janus clausus esset, scriptor haud dubie rei memoratu dignissimae diserte mentionem fecisset. Deinde prorsus nil verbis inest,

quod cogat ut de Jano clauso cogites. Quin incredibile est Drusum et Tiberium potissimum dici potuisse Janum clausisse. Quidni enim scriptor id vel ipsi Augusto vel ejus auspiciis tribuerit? Atque ipse Massonus hanc argumentationem non sat firmam esse sensit. Nam aliud insuper addidit argumentum. Audi modo! Horatii odam IV. 15. et epist. II. 1. ait a. 744. et quidem *Jano tertium clauso* scriptas esse. Ergo Janum a. 744. clausum esse. Bella conclusio! Gravissimam caussam a duobus Horatii carminibus petiit, quorum temporis indicia annum 741. non excedere ipse confessus est l. l. p. 212. Quid vero interpretes? Ne ride! Securi isti et conniventes c. 4, 15. anno 744. propterea adscribendum esse affirmant, quod eo Janus clausus sit — *ut Massonus probaverit.* Hoc opinor est probanda pro probatis sumere, vel, ut ille ait, festinantius agere et ludificari lectorem.

Vix docuerit quisquam, quando Janus tertium obseratus sit. *Massoni* tamen ratione multo probabilior est *Norisii,* qui in Cenotaph. Pisan. dissert. II. cap. 10. p. 316. (opp. vol. III. Veronae 1729.) id a. 748. factum esse conjecit. Tum enim pax terra marique parta erat. Nec mirum, quod Dio Cass. tacuit, cum post libri 55. cap. 9. magna sit lacuna.

4. Laetemur tamen, quod ad carminis 15. tempus natale definiendum ne opus quidem est nosse, quando Janus tertium clausus sit. Respexit enim Horatius, ut jam dixi, *totam Augusti aetatem.* (Liv. 1, 19. „iterum quod *nostrae aetati* Dii dederunt, ut videremus post bellum Actiacum ab imperatore Caesare Augusto pace terra marique parta" — Janus clausus.) Atque si omnia complectimur, verisimile fit carmen omnium extremum esse scriptumque post reditum Augusti a. u. c. 741. — Quo magis his credas afferam tibi inscriptionem lapidis Emeritae in Hispania reperti, quae et ipsa illo circiter tempore confecta est et Jani clausi mentionem continet (cf. Gruter. inscr. p. CXLIX., Noris. l. l. p. 311. et Masson. Jani templ. res. p. 105.):

IMP. CAES. DIVI. F. AVG. PON. MAX
COS. XII. (leg. XI.) TRIBVNIC. POTEST.
X. (leg. XI.) IMP. VIIII
ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO
TEMPLO. IANI. CLVSO. ET. REP. PO
ROM. OPTIM. LEGIB. SANCTISS
INSTIT. REFOR. VIAM. SVPERI
ORVM. COSS. TEMPORE. INCHO
ET. MVLTIS. LOCIS. INTERMIS
SAM. PRO. DIGNITATE. IMPERII
LATIOREM. LONGIOREMQ
GADEIS. VSQ. PERDVXIT.

Hunc titulum admodum probabile est dicatum esse a. u. c. 742. Primum non potest prius. Nam quamquam Lepidus jam a. 741. mortuus erat (Dio 54, 27.), Augustus tamen Pontificatum maximum anno demum 742. prid. Non. Mart. suscepit, ut patet ex Fast. Praenest. (Orell. inscr. II. p. 386. cf. Foggin. ad fast. Praen. p. 23.) et Kalend. Maffaeior. (Orell. l. l.). Deinde etsi mendose et consulatus et tribuniciae pot. numeri scripti sunt — nam annus X. trib. pot. Augusti est a V. Cal. Iul. anni 740. usque ad eundem diem a. 741. — facile tamen colligas inscriptionem non post a. 742. factam esse. Nam in numero qui trib. p. additus est, aut scalptoris aut eorum qui lapidem descripserunt culpa aut temporis injuria excidit litera I vel ad summum duae, id quod inde verisimile fit, quod ejusdem formae litera sequitur. Non potest autem talis numerus corruptus esse, qualem numerus Consulatui adscriptus postulat — nam consul. Aug. XII. incidit in a. 749. et XIII. in a. 752., ita ut, si marmor Augusto XII. cos. positum esset, tribuniciae pot. annus denotari debuisset aut 18. aut 19. aut 20. aut 21. et major imper. numerus. Ergo consequens est, ut tribuniciae potest. adscribatur numerus XI. aut XII., quo indicatur aut a. 742. aut 743.; consulatui autem nu-

merus XI., quo Augustus ab a. 731. usque ad a. 749. insigniebatur.

Hac igitur in inscriptione, quae non quidem ut olim judicabatur a. 741. confecta est, sed a. 742., dudum observavit Casaubonus non indicari, quo anno Janus ab Augusto clausus fuerit, *sed inter argumenta prosperi status florentis tum imperii clausum Janum esse positum.* Nec negavit hoc Masson. in Jan. templ. res. p. 185.

Tabula chronologica Horatiana.

Anni.			Sat. I.	Sat. II.	Epod.
u. c.	a. Ch.	Hor. aetat.			
713.	41.	24.			16. Altera jam teritur.
714.	40.	25.	2. Ambubajarum.		8. Rogare longo.
715.	39.	26.	3. Omnibus h. v.		
716.	38.	27.	4. Eupolis atque Cratinus.		4. Lupis et agnis.
717.	37.	28.	5. Egressum magna. 6. Non quia Maec.		5. At o deorum.
718.	36.	29.	7. Proscripti R. 8. Olim truncus.		
719.	35.	30.	9. Ibam forte via. 10. Lucili quam sis. 1. Qui fit Maecen.		12. Quid tibi vis. (?) 3. Parentis olim.
720.	34.	31.		2. Quae virtus.	
721.	33.	32.		3. Sic raro scribis.	11. Petti nihil me. (?) 14. Mollis inertia.
722.	32.	33.		4. Unde et quo Catius. 5. Hoc quoque Tiresia.	7. Quo quo scelesti.
723.	31.	34.		6. Hoc erat in votis.	1. Ibis Liburnis. 9. Quando repostum.
724.	30.	35.		7. Jam dudum ausculto. 8. Olim truncus. 1. Sunt quibus.	2. Beatus ille. 17. Jamjam efficaci.
725.	29.	36.			

Tabula chronologica Horatiana.

Anni.			Carm. I.	Carm. II.	Carm. III.
u. c.	a. Ch.	Hor. aelat.			
724.	30.	35.	37. Nunc est bibendum. 16. O matre pulchra.	7. O saepe mecum. (?) 1. Motum ex Metello.	
725.	29.	36.	2. Jam satis terris. 14. O navis referent.	12. Nolis longa ferae.	24. Intactis opulentior. 25. Quo me Bacche.
726.	28.	37.	21. Dianam tenerae. 31. Quid dedicatum.	15. Jam pauca aratro. 16. Otium divos. (?) 18. Non ebur.	1. Odi profanum. 2. Angustam amice. 6. Delicta major.
727.	27.	38.	29. Icci beatis. 35. O Diva gratum.		3. Justum ac tenacem. 5. Coelo tonantem.
728.	26.	39.		13. Ille et nefasto. 17. Cur me querelis.	4. Descend. coelo.
729.	25.	40.	19. Mater saeva Cupidin. 12. Quem virum a. h. 26. Mus. amic. 34. Parcus deorum	11. Quid bellicosus. 4. Ne sit ancillae. 9. Non semper imbres.	8. Martiis caelebs. 29. Tyrrhena regum. 14. Herculis ritu. 19. Quantum distet ab Inacho.
730.	24.	41.	20. Vile potabis. 24. Quis desiderio. 36. Et ture et fidibus. 30. O Venus regina.	2. Nullus argento.	
731.	23.	42.	1. Maecenas atavis.		30. Exegi monumentum.

Tabula chronologica Horatiana.

Anni. u. c.	a. Ch.	Hor. aetat.	Epistolar. I.	Carm. IV.
730.	24.	41.	13. Ut proficiscentem.	
731.	23.	42.	7. Quinque dies. (?) 2. Trojani belli scr. 731 — 34.	
734.	20.	45.	9. Septimius Claudi. 3. Juli Florc. 8. Celso gaudere. 5. Si potes Archiacis. (22. Septbr.) 12. Fructibus Agrippae. 18. Si bene te novi. 19. Prisco si credis. 20. Vertumnum Janumque. 1. Prima dicte mihi.	
737.	17.	48.		3. Quem tu Melpom. (?) 6. Dive quem proles. *Carmen saeculare.*
738.	16.	49.		9. Ne forte credas. (?) 11. Est mihi nonum.
739.	15.	50.		1. Rursus bella moves. 10. O crudelis adhuc. (?) 2. Pindarum quisquis. 4. Qualem ministrum.
740.	14.	51.		5. Divis orte bonis.
741.	13.	52.		14. Quae cura Patrum. 15. Phoebus volentem.

CAROLI LACHMANNI
AD C. FRANKIUM EPISTOLA.

Libellus iste tuus, Franki carissime, quem mihi nuper paene absolutum tradidisti, bibliopolae paulo vendibilior futurus videbatur, siqua a me eius accedere posset commendatio. in quo vides honestissimum virum non satis recte rerum statum et hominum iudicia intellegere, ut verendum sit ne commodo suo noceat magis quam prosit. nam tu Horatii poematum tempora te demonstraturum promittis; rem multis gratam et necessariam, sed laboris ac taedii plenam, quam scire multi desiderant, quaerere volunt de vulgo vel duo vel nemo. ergo de hac re brevis libellus emptores habebit non paucos, qui praeter ipsum argumentum aliam commendationem non requirant. nedum meam, quem qui in hoc genere non nihil elaboravisse sciunt, ii ne hoc quidem ignorant, quam non clementer de mirificis quorundam commentis dixerim anno XXXVI, cum in definiendis Tibulli carminum temporibus Horatiana mihi attingenda essent. hoc tu iudicio meo callide praeterito magnis laudibus *τοὺς δοκοῦντας* extulisti, ne sentirent scilicet te in maioribus quibusque et difficilibus rebus ab eis secedere et redire quam proxime ad summam Bentleianae dispu-

tationis, quam illi tantum contemnunt quantum nos exiliter et sine ingenio quaesita contemnimus. recte, inquam, agis, quod eos leniter castigando tentas ad verum traducere: quod si ego palam dicerem te mihi videri rem recte et saepe egregie administrasse, nonne illi te propter assensum meum contemptu et conviciis dignum iudicarent? itaque ego, ut vides, nec bibliopolae, ne forte ei lucellum pereat, satis facere possum, et tu cura ut dissimules me plerasque omnes rationes tuas valde probare, et eo quidem vehementius quo plura vel temere credita vel vanis dubitationibus vexata mihi ad verum revocasse visus fueris.

Nihilo minus, ne mihi librum frustra dederis, neve ego eum frustra percurrisse videar (percurri enim, non perlegi), scribam ad te quaedam non sane magni momenti, sed quibus, siqua forte recens inventa volumini addere velis, inter tua utare pro tuis.

De epodo secundo videbaris mihi [p. 27. 124] nescio qua sive iuvenili coniectandi intemperantia sive pravarum observationum contagione nimis subtiliter ignorabilia rimatus esse, ut postremo non quidem quid Iuppiter Iunoni in aurem, sed tamen quid inter se illi 'consortes studii, pia turba, poetae' egissent, tibi videreris intellegere. certe ego hebetior Virgilianorum carminum in illo epodo nullam litteram agnosco. immo mihi nuper Gruppius in libro quem de elegia Romana scripsit [p. 392] Tibulli quosdam versus cum Horatio composuisse vel aptius ad persuadendum videtur; cum tamen certum sit Horatium in epodis ad Tibulli carmina respicere non potuisse, nisi in Tibullo meas, in Horatio tuas temporum rationes repudiemus. ego hoc unum video, Horatio iambum Archilochi ante oculos fuisse, ad

cuius exemplum hunc suum componeret. illum, inquam, in quo Charonem fabrum loquentem induxit, cuius initium fuit *οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει, οὐδ' εἷλέ πώ με ζῆλος.* sed nobis, quam bella quamve iocosa fuerit imitatio, vix suspicari licet, cum ne exitum quidem Archilochii carminis, cuius modi fuerit, divinare possimus. in hoc, si Aristotelem recte intellego [rhetor. III, 17], fuit *ψόγος ἄνευ ἀγροικίας:* Horatius suavitatem quaesivit et ridiculum; hoc quidem summe, cum feneratori adscribit haec, 'quis non malarum, quas amor curas habet, haec inter obliviscitur?' sed sub risu iocoque latere amici irrisionem cur suspicer?

At, dices, ita perit mihi nota temporis. perit sane: sed eodem iure utor quo tu multas eius modi notas, quae aliis clarissimae videbantur, fallaces immo nullas esse docuisti. ac vereor ne qui severius iudicet tibi quoque non nulla cupidius sumpta extorquere possit.

Ita carminum libro primo illa navis, cui tu [p. 153] *κυβερνήτην* quaeri putas, quem poeta non dicit ei deesse, ea mihi non Romana videtur, sed Alcaei poetae, quem constat cecinisse 'dura fugae mala, dura navis'. haec igitur 'Pontica pinus', scilicet 'ubi iste post phaselus antea fuit comata silva', Alcaeo 'nuper' in fuga desperanti 'sollicitum taedium' fuisse potuit, tum patriam repetere gestienti 'desiderium curaque non levis'. ita certe haec interpretari licebit, quae alioquin vix ullum intellectum habent. quamquam ne hanc quidem interpretationem certam duco; quandoquidem neque illud Catulli 'otium Catulle tibi molestum est' neque Sapphicum *ἀλλὰ πᾶν τολματὸν* satis apertum est, cum tamen illud ab hoc expressum esse satis constare videatur: quid igitur hic fiet, ubi rivus tantum superest, fons ex-

aruit? sed tu mihi illud quod ab hoc proximum carmen est considerato, 'Pastor cum traheret'. id cum nemo dubitet quin totum ex Graeco ductum in argumento ficto versetur, nonne dices probabile esse poetam ipso loco hoc carmen eiusdem modi esse indicare voluisse? simile artificium in duabus epistolis [I, 13. 14] observabis, quas recte dicis [p. 205] ad eos non pertinere quibus inscriptae sunt.

Cur vero illud ipsum carmen 'Pastor cum traheret' praeteristi? mihi certe hoc inter prima quae poeta tentarit fuisse ex illo versu videtur apparere 'ignis Iliacas domos'. adicerem eadem licentia insignem 'Teucer et Sthenelus sciens', nisi vetustiores libri haberent 'Teucer te'. talia enim nondum perfectae artis documenta quaedam Horatium delere noluisse alio memorabili exemplo docere possum.

In eo versuum systemate quod ei prae ceteris placuisse videmus, colon tertium post quintam syllabam ea condicione inciditur ut sexta teneat vocabulum monosyllabum, hoc modo,

excepit ictus | pro | pudicis.

hoc in cultissimis carminibus secutus est, neglexit in quibusdam, quae cur omnia primo et secundo libro inseruerit miror neque certam causam reperio, sed eorum maximam partem ex tuis rationibus primo triennio scripsit ex quo carmina lyrica coepit condere. huius incuriae exempla ponam duo, ut intellegantur species.

cantare rivos | atque | truncis.

nodo coerces | viperino.

carmina autem in quibus his formis usus est haec sunt. libri primi XVI. XXVI. XXIX. XXXV, libri secundi I. III. XIII. XIV. XIX.

Sed horum secundum, in quo est

gaudes, apricos | necte | flores,

a te [p. 165] anno 729 ascriptum video. concedes, ni fallor, aliquot annis prius scribi potuisse 'quis sub arcto rex gelidae metuatur orae, quid Tiridaten terreat'. illum enim sub arcto regem credo tibi eorum esse Scytharum quorum auxilio Iustinus [XLII, 5, 5] Phraaten in regnum restitutum esse scribit, quos Tanaitas alio carmine [III, 29] poeta significat: sed de tempore te Iustinus decepit, qui cum deberet dicere cum Dione [LI, 18] in Asiam ad Caesarem profugisse Tiridaten, perverse 'in Hispania bellum *tunc temporis* gerentem' somniavit, quod videbat Trogum subiecisse [§ 10] quae 'post haec finito Hispaniensi bello' gesta essent. quid quod in eodem carmine alius versus inest parum concinne compositus,

hunc Lesbio | sacrare | plectro,

cui nullum alium similem reperias. qui hodie Latine poetantur, in arte illi valde dissimiles Statio [silv. IV, 5], tantum abest ut talia vitent, ut non erubescant scribere

quid debeant | seri | nepotes.

at cultis Horatii auribus in quarta huius versiculi syllaba desinens vocabulum non satis faciebat, nisi id monosyllabon esset, hoc modo,

vernisque | iam | nimbis | remotis.

spes omnis | et | fortuna | nostri.

vocabulum longius praeter 'hunc Lesbio' inveni semel illa syllaba finitum, sed leniore compositione et in uno ex illis novem, quae dixi, carminibus, [II, 3]

sors exitura | et | nos | in aeternum

exilium inpositura cymbae.

Haec igitur a me olim levandae immodulatorum

versiculorum nauseae quaesita nunc tuae rei proderunt. si modo hoc mihi praeter priora confiteare, te [p. 162] illud carmen [II, 13] in quo hic versiculus inest,

Alcaee plectro | dura | navis,

minus recte ad annum 728 rettulisse. id video te facere propter octavum carmen libri tertii, quod ego calendis Martiis anni 725 scriptum statuo, tu anno 729. mihi, ut ita statuam, sufficit liber Cassii Dionis primus et quinquagesimus, in quo omnia quae Horatius hoc carmine attingit ex ordine perscripta sunt; commissa Maecenati post pugnam Actiacam Italiae et urbis Romanae cura, initio anni 725 recitatae in senatu de Tiridate et Phraate litterae, Cantabri a Statilio Tauro devicti, Daci et Bastarnae Scythae a M. Crasso fugati. unum te quo minus assentiare vocabulum remoratur, quod poeta Cantabros sera catena domitos dicit. sed cur eos non dicat iam dudum debuisse populo Romano servitutem? num Livius aliter libro XXVIII [12]? 'itaque ergo' inquit 'prima Romanis inita provinciarum, quae quidem continentis sint, postrema omnium nostra demum aetate ductu auspicioque Augusti Caesaris perdomita est.' num aliter de Parthis non modo sed Indis Propertius libro quarto [III, 4, 5]? 'Sera, sed Ausoniis veniet provincia virgis.'

Sed hic tandem scribendi finem faciam. nam et sentio huius modi res satis iucunde scribi vix posse: neque ea quae dicturus eram his quae dixi aut graviora aut subtiliora erant: denique, ut scis, aliis negotiis ita distineor ut interdum vix respirare liceat. itaque tu his, quantula cumque sunt, utere ut voles. libellus tuus, vir doctissime, vel sine his meis tantum aliis placebit quantum mihi placuit. vale. d. XXVII Iulii.

Corrigenda.

Pag.	2.	vs.	27.	lege:	1833.
-	17.	-	22.	-	Julium.
-	18.	-	3.	-	mireris.
-	97.	-	3.	-	145.

Typis C. G. Ende.